Ut quidam Legatorum, Regis quondam
Nostri, Ingenti Imperatorio Thesauro
Annullo suo Injecto, Aurum se, dixit,
Adjicere Auro; Ita nunc, et Ego,
plus quam Aureae (quid enim Ce-
teris praeciosius) Librorum Eru-
ditissimorum, tam Vastae suppelle-
ctili, Libellum hunc, partus Mei,
adjicio; sed non eodem, ut ille, fa-
stu. Non enim mihi Mens est,
ut Illam Ornet, sed ut ab illa Or-
namentum sumat; Et, (quod vel
maxime Cupio) ut ob praestitam
sibi, a Civilissimis, Almae Cracovien-
sis Universitatis, Professoribus, hu-
manitatem, ac benevolentiam,
perpetuum Gratissimi Animi
Erga eosdem existat Documentum
Amorisque summi, Erga Literas, et
Literatos, Mnemosynon Immortale.

Andreas C. de Lesno
Palatinus Derpatensis
Praefectus [illegible]

ANDREÆ COMITIS DE LESNO,
PALATINIDÆ BELSENSIS, &c.
AD
FVSIOREM
ARCANORVM
TAM ARISTOCRATICORVM
QVAM DEMOCRATICORVM
INDAGATIONEM
MANVDVCTIO.
QVAM
Publici exercitii gratiâ,
ABSQVE PRÆSIDIO,
in florentissimæ Rauracorum Univer-
sitatis Brabeuterio,
Ad diem 21. Augusti, Anni M DC XXVIII.
suscipit defendendam.



BASILEÆ,
Excudebat JOH. JACOBUS GENATHIVS.

INDEX ET ORDO CAPITUM, quæ in hoc Tractatu continentur.

Franc.Guicciard.Hist.lib.10.

Omnium sapientum communis est sententia, Liberas Civitates Deo summopere placere: quòd in iis magìs, quàm in alio Reipublicæ genere, commune bonum conservatur, jus suum cuique æqualiter tribuitur, civium animi vehementiùs ad virtutem & laudem accenduntur, Religio colitur, Sacra peraguntur.

Plaut.Pers.4.

Quid id, quod vidisti, ut munitũ muro tibi visum est oppidum?
Virg. Si incolæ bene sunt morati, pulchre munitum arbitror.
Perfidia & peculatus ex urbe, & avaritia si exulant,
Quarta invidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum perjurium. *To.* Euge! *Virg.* Octava indiligentia,
Nona injuria, decimum, quod pessimum aggressu, scelus.
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parùm est.

Salust.Catil.

Pulchrum est benefacere Reipublicæ: etiam benedicere haud absurdum est.

ANDREÆ COMITIS DE LESNO, PALATINIDÆ BELSENSIS, &c. MANUDUCTIONIS

CAP. I.

In quo proœmium: & in illo pauca de necessitate artis bene Rempub. regendi; atq; simul, an & quousq; simulatio in Rebuspub. sit admittenda.

SECT. I.

CONSIDERANTI mihi materiæ, quam aggredior, difficultatem, calamus sæpè è digitis excidit. metuebam enim vehementer, ut ne quoque non meum esset, Corinthum (quod ajunt) appellere. Verùm enimverò præstantia ejus, dignitasque summa, ad audendum aliquid, stimuli loco calcarisque fuit. Ut rosa, flos pulcherrimus, de spinis decerpitur; ita ego de his spinosis, ac difficilibus, præclarum spero fructum me consecuturum. Annue, ô Rex Regum, Rerumque publicarum optime Custos!

II.

Arcana Rerumpublicarum hoc modo definio; Esse occultas artes, Respublicas in præsenti statu conservandi, boni publici causâ. Artibus

Respublicæ conservari volunt; si bonæ sunt, meliores
1. de Orat. reddi; si malæ, corrigi. *Quæ bona sunt*, ait Cicero, *meliora fieri possunt arte: & quæ non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi possunt.* Arte itaque reges, arte conservabis Rempub. Vix quicquam absque arte do-
1. de Clement. 17. mueris; quid hominem? quo *nullum*, teste Senecâ, *animal morosius, nullum majori arte tractandum.* Quàm verò difficilimum sit, vel seipsum gubernare, nisi insipiens, nemo ignorat; Quid verò tot heteroclita capita in ordinem redigere, iisque cum laude præesse? Multæ illud Respublicæ expertæ sunt, & adhuc etiamnum experiuntur, magno sæpè cum periculo, imò totali exitio. Ecce, inter navigantes, cùm Nauta errat, modicum affert navi periculum; aliter, cùm ipse gubernator. quid tùm nisi in magno periculo timenda pernicies? Idem fit in quovis Imperio. Væ ei, cui imperantes imperandi sunt imperiti! Ut illi, qui primò Musicen discunt, testudines aliquot perdunt, & obterunt; ita Imperium facilè perditur, cùm rudes, artiumq; imperandi ignari ad Rempub. accedunt.

III.

Artibus, iterum iterumq; dico, opus est, iisdemque tàm manifestis, quàm occultis. Harum usus difficilior; magna utrarumque necessitas. Manifestas tot Politicorum proferunt scripta; Occultas vix unus & alter attigerunt. Regum verò proprias, nemo Machiavello detexit acutiùs, nemo docuit accuratiùs. Quare horum arcana silebo. Vix enim quicquam novi, à quoquam dici unquam potest, quod vel nescirent Principes, vel præstaret nescire, subditorum bono. Sit venia verbo, quam meritò peto, meritò impetrabo. Omnes enim tangere mihi mens non est, non fuit.

IV. De

IV.

De Aristocraticis itaque, atq; Democraticis arcanis, sermo erit nobis tantùm. Septuplicia verò posse dari, nemo abnuet, nisi qui cum Bodino erroneè neget, mixtas dari Respub. posse. Septuplicia, inquam, secundùm septem formas Rerump. Tres namq; simplices esse, ex his verò quatuor mixtas posse oriri scimus.

V.

Antequam autem ad arcana ipsa accedamus, non indecenter, nec abs re me facturum puto, si de Simulatione, an, & quousq; in Rebuspub. sit admittẽda, pauca præmisero. Maximum certè in iis usum habet, & necessitatem: ut verè exclamet Sigismundus Imp. optimus; *Nescit regnare, qui nescit dissimulare!* Quod unicum Ludovicus XI. Rex Galliarum à filio suo disci voluit, ut tradit Arnisæus ex Aemilii libro 10. At Cicero, vide 3. Officior.
quàm aliter; *Ex omni vitâ*, inquit, *simulatio, dissimulatioq; tollenda est.* De privatâ ferè fateri cum Lipsio pos- 4. Polit. 13. & 14.
sem: valdè cum eodem de publicâ nego; præsertim si publicus usus, salusq; suadeat. debet enim *salus Imperii suprema lex* esse. Quamvis & de Cicerone scribat Paterculus, quòd *insito amore Pompejanarum partium, Cæsarem laudandum & tollendum putâsset: cùm aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Utendum itaq; nonnunquam est simulatione, sed justâ, & licitâ. lib. 2.

VI.

Justè aliquando eam posse usurpari, qui negare velint, non minùs causæ habebunt ad reprobandum bonum illum circa curam dolum prudentissimorum Medicorum; qui

-------- *Absynthia tetra medentes* Lucret. lib. 1. & 4.
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum

Con-

Contingunt mellis dulci, flavoq; liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absynthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potiùs tali facto recreata valescat.

Imò Deum, ipsam justitiam, injustitiæ arguunt, ad
Sap.11,24. quem sic Sapientia: *Tu omnium misereris, quoniam potes omnia, & dissimulas hominum peccata, ut resipiscant.*
2.Sam.15. & 16. Davidis Consiliarius *Husæus Arachita*, Davide ipso suadente, volenteque, Hierosolymis Absolonem filium Regem salutavit, ejusque se amicum fore simulavit: ut, cùm prudentiæ nomine magnæ esset autoritatis, consilia Achitophelis, hominis astutissimi, qui reverà ad Absolonem defecerat, irrita facere posset: id quod effecit. David ipse, cùm in gravissimum discrimen apud
1.Sam.21, 14. Achim Regem Geth incidisset, faciem mutavit, *seq; stultum finxit*, cúmq; talis videretur, evasit. Sed quid Arachitam, quid Davidem loquor? Christum Dominum nostrum, ipsam innocentiam, videamus, qui corã duo-
Luc.24,28. bus discipulis *finxit se longiùs iturum.* Talem simulationem, ô absit, absit! illicitam dici. Itaque omnis prorsus simulatio non est reprehendenda; ita ut quædam laudabiliter etiam, salubriterq; usurpari possit. Quis, quæso, rigidorum vel maximus, à nobis exiget, ut quicquid veri novimus, patefaciamus? Tacendum sæpè est verbis, fronte, vultu; nec aliter possunt, quibus commissa est tota Respublica.

VII.

Plato tamen duriusculè; *Crebro mendacio, & fraude imperantes uti oportet ad commodum subditorum.* Aliter Christiani edocti sumus: *Non decent stultum verba*
Prov.17,7. *composita,* (ait Salomon) *nec Principem labium mentiens.* Quare quo par est affectu Divus Augustinus, quodam in loco, in hæc erumpit verba; *Mentiri,* inquit; *non licet, nec pro Dei laude.* O' quantò minùs igitur mentiendum est pro humano aliquo commodo!

IIX.

Aristoteles (melior, an non & major præceptore Doctor?) rectiùs, & cautiùs: *Vir magnus,* inquit ille, *utitur libertate in loquendo, & veritate, non verò loquitur ad voluntatem aliorum; reticet etiam, & dissimulat apud infimos; indignos nimirum, quibus omnia sua consilia, dicta, factáve aperiat, aut communicet.* Hoc fieri salvâ fide, honestate, virtute, ut potest, sic debet. Quibus verò

Pactum non pactum est, non pactum pactum est,
cùm illis lubet:

Tales vafri, astuti, ac nefarii, à Prudentibus, Politicis, cunctisque bonis jure proclamantur, illisque abominationi sunt. Quísnam, quæso, similes Lysandro illi, qui, teste Plutarcho, *pueros astragalis, viros verò* (ô Plutonis, non hominis vocem!) *sacramentis decipiendos esse affirmabat*, non jure abominetur?

IX.

Jure, inquam, quoniam Deus ipse eos aversatur, cui omnis injustitia est abominationi. Rectè enim illud in illos Homericum quadrat:

---------- *Depravant publica jura,*
Justitiamq; fugant, Divûm nil verba verentes.

Meritò itaque, meritò, Deus deserit desertores suos, punitq; ob id graviter populos, provincias totas, magnaq; regna, & imperia. Ecclesiasticus verè minatur; cap.10,8.
Regnum, ait, *à gente in gentem transfertur propter injustitiam, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Nec 3.Odar.2.
minùs verè Horatius, licèt paganus:

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna Claudo.

Quæ cùm ita se habeant, sic simulatores agamus, ne ex fraude, fallaciis, mendaciis constare toti videamur.

Cap. II.

In quo Arcana, quorum ope status Aristocraticus, contra Democratiam, se tueri possit.

Sect. I.

Arcana Aristocratica sunt occultæ artes, Resp. in statu Aristocratico, adversùs plebem atq; regnum tuendi, boni publici caussâ. In divisione Aristocratiæ nunc non occupabor; paucis tamē, transitoriéq; meminisse non pœnitebit. Quatuor sunt, inquit Aristoteles, Aristocratiæ genera: Unum, quod pauci tantùm locupletiores tenent; In secundo, honores ac imperia locupletioribus sorte dividuntur; In tertio Magistratus à parentibus ad liberos successione deferuntur; Postremum est eorum, qui dominationem rerum omnium habent. In hac, inquam, divisione nihil morabor. supervacaneum enim nunc de hac disserere puto: modò Aristocratia sit, i.e. Reipublicę talis forma, in qua minor pars civium in universos & singulos cives summæ potestatis jus habet. (*Bodin. 2. de Repub. 6.*) Ubi talis est forma Reip., ibi hæc arcana, quæ voco Aristocratica, jam-jam promenda, (ut tamen generalia, & tantùm occasionem ad accuratiorem eorum pleniorémque indagationem præbentia) fortassis sufficient.

II. Jam

II.

Jam igitur Aristocratica arcana nobis erunt tractanda: primò contra Plebem, mox tractaturis eadem cōtra Regnum. Adversùs itaque plebem Optimatum Arcana, sunt occulta atq; recondita consilia, quorum ope, bellua hæc multorum capitum, at exigui sæpè judicii, atque rationis, Imperium habere non admittitur, aut si irrepserit, ab eodem per obliquas ambages repellitur; aliquandoq;, cùm necessitas postulat, postulat autem sæpissimè, (quia non cogi, sed decipi vult,) inescatur, ut putet magno cum commodo boni publici, se habere id, quod non habet.

III.

Loquor de plebe, tam libertatis amante, novarumq; rerum cupidâ, quàm de quali Poëtarum Principes canunt. Ovidius ita: (*Metam. 5.*)

----Indomitas ardescit vulgus in iras
Telaq; conjiciunt.-------

Nec abludit Vergilius, qui sic graphicè: (*1. Aeneid.*)

------ Sævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces, & saxa volant; furor arma ministrat.

Contra talem plebem arcana promo; non contra illam Gallicam, de quâ sic Cæsar: *Penè servorum habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio.* (*6. de bell. Gall.*) Nec mirum; quale enim speres consilium ab ingenio servili? Nam sic pergit: *Quum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuriâ potentiorum premuntur, sese*

in servitutem dicant Nobilibus. In hos eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos. Quísnam status, nisi

Verg. 4. Aeneid. *Omnia tuta timens* -------

à tali sibi timeat? Polonia certè à suâ plebe secura satìs est. Nam ut simia fœtum suum, sic illa servitutem, mirando quodã affectu stulta amplectitur. Occurrit mihi hîc non injucunda historiola, à D. Christoph. Besoldo, ex Laurentio Müllero depromta, quæ sic habet: *Rustici ac agrestes in Livoniâ homines, Nobilium ibi misera mancipia sunt, & diurnum si laboris pensum haud solvant, aut dominos suos irritent, vapulant miserrimè. Hos cùm Poloniæ Rex Stephanus An. M D LXXXII. vocari, eisq; significari jussisset, duræ se illorum misereri conditionis; velle ideo eos à plagis & verberibus vindicare, ac mulctam, si peccaverint, imponere mitissimam: Ei Rustici; Antiquas se consuetudines mutare nolle, omniaq; dura malle perpeti, responderunt, novitatem quàm aliquam introduci.* Timidiorem vel ipso lepore necesse est esse, qui vereatur, ne tales ad se fasces Imperii trahant.

Discurs. pol. de Monar. generat. cap. 5. n. 2.

VI.

Non de hac igitur natâ ad servitutem plebe, sed de priori, res ipsa dicendi nobis materiam præbet. Ergo incipiam cum Poëtâ, qui sic animosè:

Juvenal. satyr. 8.

Curandum imprimis, ne magna injuria fiat
Fortibus, & miseris: tollas licèt omne, quod usquam est
Auri atque argenti, scutum gladiumq; relinques,
Et jacula, & galeam: spoliatis arma supersunt.
Quod modò proposui, non est sententia; verùm
Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ.

Salust. de cõjurat. Catil.

Nemini certè *mortalium injuriæ suæ parvæ videntur: multi eas graviùs æquo habuêre.* Unde quid, nisi vindicta? Hæc à plebe Rebuspub. sæpè exitialis; cui nil suavius, quàm

quàm brutali quodam, ut sic dicam, ingenio, impetuq; non dissimili, animum ultione satiare. Defendi itaque summo studio ab injuriâ debet; sed præcidendæ occasiones, ad quicquid imperium sapit.

V.

Non frustrà occasiones præcidendas volo. Ut enim *furem*, quod dicitur, *facit occasio*; sic invasorem sæpè alieni Imperii. Hac feliciùs omnia negotia, quàm viribus, ad optatum finem perducuntur. Notare id Aristi, semperq; illud (ni fallor) Demosthenis, *parvæ occasiones magnarum rerum causæ existunt*, promtâ in mente gestare meritò debent.

VI.

Quòd si se plebs ambitiosa præteriri ægre tulerit, nõ omnino occludenda via est ei. Nam præstat ultro facere, quàm necessitate, furentisq; plebis impetu cogi. Admittenda igitur est, aut magìs videatur admissa esse ad imperium: fræno tamen ei, (verùm laxo) ne nimiùm progrediatur, injecto. Quædam itaque concedenda, quæ minus statui Aristocratico adferre possunt periculi. Aliquibus ex populo potestas detur aliquando absolvendi, condemnandi verò nunquam. Nec denegetur de rebus haud magni ponderis atque momenti ferendi non rarò potestas. Unde quidam Poëta:

------- *Tum cætera paret*
Turba, libens servit, propriis quia legibus autor.

Hæc & similia, timidè tamen, concedenda. At timor, videndum probè, probè ut dissimuletur: *Multi* enim *fallere docuerunt, dum timent falli*, valdeq; nocere timendo. Ut autem eò occultiùs dissimuletur, nomine boni publici invitanda, imò quoque roganda; nam vult honorari. Ne longa tamen illa plebis sit potestas, dili-

Sen. epist. 3.

genter providendum; Nam inveterata difficiliùs tolluntur, & facilè serpunt ulteriùs. Cùm tandem arcere eandem ab imperio volueris, lentis id, atque obliquis artibus efficies. illa enim, quæ non subitò, sed lentè fiunt, non ita facilè apparent; & non nisi conversione jam factâ sentiuntur. Quod si ad optatum finem perductum sit, (perducetur autem procul dubio, si lentè ducetur,) liberaliter, à principio præsertim, plebs erit tractanda; eoq; liberaliùs, quò longiùs à potestate Imperii removebitur.

VII.

Certè plebs naturâ suâ publica vix curat, & si aliquando imperium affectat, contemtum fugit, qui sæpè magnus in statu paucorum. Cùm legem de connubio patrum ac plebis, deque honore consulari etiam plebi mandando, ferenti Canulejo, patres se opponerent; nihil aliud, quàm contemni plebem, questus est Tribunus. Unde Horatius non immeritò Mecœnatem laudat, quòd quamvis regio natus esset sanguine, neminem tamen contemneret. Verba sunt ejus:

Liv. lib. 4.

1. Serm. sat. 6.

------ *Persuades hoc tibi verè,*
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos sæpè viros, nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, amplis & honoribus auctos.
Contrà Lævinum Valerî genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non unquam precio pluris licuisse. ---

IIX.

Tantò rectiùs Mecœnas, quantò periculosiùs alii, qui nobilitate, potentiâq; freti, alios irrident, atq; contemnunt. Illud ignorantes, etiam illos, qui nihil minùs posse videntur, graviter sæpè ulcisci posse injurias. Id ipsum

ipsum sapiens ille è Phrygiâ fabulator, illo de aquilâ, & cuniculo apologo per-quàm expressit graphicè: Aquila raptos pullos cuniculi detulerat in nidum suum, quem in altissimâ arbore fixerat. At mœsta mater ut suis parcat, per omnes illam Deos, miserorum curatores, obtestatur; sed aquila cuniculi precibus contemtis, & despectâ humilitate, dilacerat pullos cuniculi, & suis præbet discerpta membra. Hic verò dolore, & irâ commotus, suo cum genere conqueritur aquilæ vim; & ut quisque sibi idem, quod ipse pertulerit, accidere posse cogitet, neque facinus impunè ferre aquilam sinant, hortatur. Ita concordi studio, ad eruendam arborem, in qua nidularetur aquila, conveniunt, & egestâ à radicibus illius terrâ, omnique circum eam solo specubus excavato, impulsa arbor levi flatu paulò pòst in terram prosternitur: at pulli aquilini partim ruinâ, partim raptu terrestrium ferarum interiêre, orbitati cuniculi spectaculum præbentes gratissimum. Quid visurus sim, nescio, sed contemtum aliquid emolumenti contemtori attulisse nondum ego vidi; sæpè valdè nocuisse, quæ non ætas vidit? Qui enim contemnit, ac parvi facit alios, in eorum odium incurrit: quo quid detestabilius est in Repub. si id inter imperantes atq; parentes excitetur, præsertim si inveteraverit? Verissima namque est cujusdam sententia: In veteribus gravibusq; odiis, firmam pacem constituere, quòd ea vel suspicione, vel ultionis cupiditate impediatur, difficilimum esse. Quare moneo cum Poëtâ quodam:

------ *Odium (mihi crede) mereri*
Desine; quem metuit, quisque perire cupit.

IX.

Contemtus itaq; absit, imò honor etiam aliquis adsit

ſit; vile ipſi erit decus publicum, vilis imperandi poteſtas. Nam videtur gravis, ocium ſectanti, & privatarum rerum ſtudio laboranti plebeculæ: præſertim ſi privatim non nimis egenè vivat. Procuranda ergo annona plebi; hanc ſi ſufficienter habuerit, ad altiora non adſpirabit. Naturâ enim ſuâ vilis eſt, animoq; prædita nunquam aſſurgente ſublimibus conſiliis, atque cogitationum magnitudine. Vix quicquam tentat, niſi egeſtate, & fame prematur.

X.

Hac de cauſsâ Impp. Romani, gnari

Lucan. l. 3. de Cæſ. *----- Et irarum cauſas, & ſumma favoris*
Annonâ momenta trahi; namque aſſerit urbes
Sola fames: emiturq́; metus, cùm ſegne potentes
Vulgus alunt: neſcit plebes jejuna timere.

Paſcebant populum, ſecuri interim imperantes. Annonæ vilitas vilem plebem non ad tolerandos ſolùm, ſed ad amandos quoque Principes, etiam crudeliſſimos, ſola incitavit. Falluntur igitur vehementer Optimates, qui ſibi à famelicâ plebe ſecuritatem promittunt. Nam, ut ait Plautus,

Amph. act. 4. ſcen. 2. *Fames & mora bilem in naſum conciunt.*

Maleſuada egeſtas ſæpè exhauſto populo ſuaſit tentare extrema. Hanc ob cauſam, teſte Polybio, Hiſpani à Carthaginienſibus defecêre; ab Athenienſibus verò ob eandem cauſam, poſt cladem in Siciliâ acceptam

lib. 8. ſocii, teſte Thucydide. Inter recentiores ſcriptores

lib. 9. Paulus Aemilius hiſtoriam refert memorabilem; ejus verbis referam: *In Gallis*, inquit, *Carolo VI. Rege rerum venalium viceſima indicta erat. cùm igitur Pariſiis in foro olitorio fœmina quædam naſturtium venum expoſuiſſet, coactor Regius obulum poſtulat; Muliercula ad adſtan-*

ſtantium virorum auxilium provocat. Concurſu facto exactor à turbâ oppreſſus, obtritusq́; eſt. Inermis plebs ad ædes publicas impetu fertur, dejectis foribus, arma telaq́; corripiunt: Exactores, Redemtoresq́;, quoscunq́;, urbem pervagati, deprehendere poterant, plumbeis malleis confecerunt.

XI.

Plura ſunt ejus rei exempla; inquirenti facilè occurrent. At ego ideo in unâ re demonſtrandâ diutiùs non moror, quòd non perfectum opus, ſed viam ad perfectum ingenioſis me oſtenſurum, titulo operi præfixo, promiſerim. Uno itaque, & altero verbo dicam, quid ſentiam: Non contemnenda, neque nimiis tributis inops plebs excarnificanda. Contemtus enim, & egeſtas, ut dixi, multa mala ſuadent, admodum periculoſa Rebuspub. & in iis maximè Imperantibus. Ut verò occurri tenuiorum inopiæ absque damno publico, ſimulq; Optimatum poſſit, tributum (tolerabile tamen) indicendum eſt divitibus, ad pauperum ſuſtentationem: ita poſtmodum quoque minori cum difficultate tributum, tam publico, quàm Imperantium commodo ab utrisque exigetur; minusq; cauſæ timoris erit, ne invadant Imperantes, faſcesq; ad ſe imperii pertrahere conentur; utpote fame ceſſante, quæ ad magna audenda, calcaris ſæpè loco eſt vel timidiſſimæ plebi.

XII.

Si qui tamen ex plebe mentis altioris inveniantur, & affectent imperare, non omnino ſunt arcendi, ne turbas excitent, per vimq; irrepant; imò ocyùs promovendi, antequã interceſſione plebis ſubrogari videantur, ne porta creandi Magiſtratus plebi pateſiat; Tantum abeſt, ut expectetur ab Optimatibus, donec totius multitudinis conſenſu vi introducantur. Sit hoc eis in-

ſtar Oraculi, difficiliùs amitti, difficulter quàm facilè adquiſita. Ab hac ſententiâ non abludit illud Ovidianum:

Quod venit ex facili, faciles, ſegnesq; tenemus,
Quod ſpe, quodq; metu torſit, habere juvat.

Quod ideo dico, ut ne, ſi reſiſti his è plebe ambitioſulis non poſſit, & velint Optimates non diu ab illis faſces imperii teneri, ut ne, inquam, eis reſiſtant, ſed ſimulent potiùs, ſponte ſuâ id facere ſe, quod neceſſitas facere cogit. De tali ſimulatione cùm paráſſem dicere paulò fuſiùs, incidi imprudens in Machiavelli diſſertationem tam prudentem, ut me laboris, non nimis licèt operoſi, in parando de hac materiâ ſermone pœnituerit: ſententiam itaque mutavi, ejusque totum diſcurſum, brevem quidem illum, at nervoſum valdè, deſcribere in animum induxi meum; veniam, imò laudem meriturus, quòd qui meis verbis doctè ſatis ac perſpicuè dicere deſperabam, Machiavelli ope rem acu tangere voluerim. Sic ille, ut ſolet, acutè.

XIII.

Machiav. lib. 1. c. 51. *Sapientes Viri gratiam ſibi comparant etiam ex iis rebus, quas neceſſitate inducti præſtant: quæ res à Patribus Romæ eleganter obſervata, magnam benevolentiam illis apud plebem conciliavit: in eo præſertim negotio, quo decreverunt militibus ex publico ærario ſtipendia, qui priùs cogebantur propriis ſumtibus militare. Nam cùm diuturna bella ante oculos poſita cernerent, & oportere etiam exercitus ſuos ad ea conficienda procul à Patriâ duci: facilè intelligebant, niſi ex publico ſtipendia ſolverentur, nihil horum effici poſſe. Itaq; neceſſitate urgente Senatus ſtipendia militibus ex publico decrevit: ſed id tantâ induſtriâ fecit, ut ex eo, quod neceſſitas facere cogebat, magnam ſibi benevolentiam comparârit: nam id præſtitit, antequam vel à Tribunis, vel à plebe ulla ejus rei mentio facta eſſet. Itaque nihil acceptum unquam à plebe tanto gaudio traditur: concurſum enim ad Curiam eſſe, prehenſasq; exeuntium manus, & Patres verè appellatos: effectumq; eſſe, ut nemo pro tam munificâ Patriâ, donec quicquam viriū ſupereſſet, corpori aut ſanguini ſuo parceret. Sed Tribuni plebis, communis ordinum lætitiæ concordiæq; ſoli expertes, negare tam id lætum ac proſperum conſilium fore, quàm ipſi crederent: id enim ſpecie jam melius eſſe quàm uſu appariturum. Unde enim eam pecuniam confici poſſe, niſi tributo populo indicto? Ex alieno igitur Patres eſſe largitos querebantur. Sed quicquid illi dicerent, plebi id gratiſſimum fuit: quod ut Patres perſeveranter tueri poſſent, cùm ex cenſu ſummâ fide contuliſſent, de ſuo primi contribuerunt; poſt quos, primores plebis, Nobilium amici, ex compoſito conferre incipiunt: quos ut & à Pàtribus collaudari, & à militari ætate tanquam bonos cives conſpici vulgus hominum vidit, repentè ſpreto Tribunitio auxilio, certatim in militaria ſtipendia conferre cœperunt.* Tantum Politicorum verſutiſſimus.

XIV.

Sed ad ambitioſos illos è plebe revertamur. Hi hoc modo non difficulter deſerent ſtatum, ſi facilè admiſſi, minùs præ cæteris Optimatibus honorentur; & quæcunque difficiliora munia inveniantur Reipub. ipſis ſæpiſſimè demandentur: Tædio certè laborum renunciabunt (hoc enim videatur ut liceat plebi) imperio; mallentq; ex plebe primi in ocio honorari, quod facilè (Optimates cùm fuerint antea) à plebe obtinebunt, quàm in contemtu curis nimiùm gravati, inter Optimates poſtremi cenſeri. Aſt probè, & ſagaciter impe-

rantes lætitiam omnem, (quæ inde, ut à status sui amantibus, non potest non concipi) mente subtristi tegendam norint. *Invidiam*, Seneca dicebat, *effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris, si sciveris in sinu gaudere.* Nec abs re quoque Ovidius monet:

Epist. 105. ad Lucilium.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

XV.

Hoc imprimis diligenter, at solerter, in hoc paucorum statu providendum, ne conventus à plebe ulli instituantur; quippe ii, ut Livii verbis utar, *temeritatis apud plebem sunt incitamenta.* Apud eundem Livium de talibus conventibus hæc verba reperio: *Tum verò plebs*, inquit autor, *cœtus nocturnos pars in Esquiliis, pars in Aventino facere, ne in voto subitis trepidaret consiliis, & omnia temere ac fortuitò ageret. Eam rem Coss. rati, ut erat, periculosam, ad Patres referunt.* De talibus conventiculis, i.e. clandestinis, loquor, & præsertim nocturnis. Ad hæc omnes prorsus sunt præcludendæ occasiones. Id magno sæpè suo cum periculo non observant quædam Respub. Inter eas illæ præsertim, in quibus non licet quorundam sacra in conspicuâ civium luce fieri. Unde cōventicula clandestina fiant necesse est, quorum conventiculorum occasione, aliquando agitantur quædam statui Reipub. periculosa. Exemplo sit nobis Monasterium, urbium in Westphaliâ maxima. ibi concilium clandestinum Anabaptisticum, specie Religionis quæsitum, quanti mali causa fuerit, notum est legenti Sleidanum. Hi Leidano sartore urbem, pulsis Principibus, sub imperium ac ditionem suam subjecerunt, nec nisi valido Imperii Germanici exercitu expugnari atq; profligari potuerunt.

lib. 2.

XVI.

Ab armis etiam arcendam esse plebem, tuta consulit ratio; nisi jam-jam instantis hostis, admodum validi, periculum armari eam cogat. absque hoc fiet, videatur, ut & illa sit absque armis. Libertas deponendi arma promulgetur; si tantùm libertate contenti, arma tamen retineant, non mandato, ne hortatione quidem, multò minùs vi id tentandum. Ad artes igitur alias confugiendum erit: Nova spargantur necesse est, idq; sæpiùs, de adventu potentis alicujus hostis. Quam ob causam nimio exercitio militari, necessitatis maximæ prætextu, gravetur, pyrium pulverem, & alia ad rem militarem necessaria propriis sumtibus comparet. Danda verò opera sedulò, ut diversis in locis, & procul à se dissitis, manipulatim exerceatur.

XVII.

Quòd si occasio detur, in hostem educenda; re fortiter gestâ (& procul dubio ab exercitatis geretur) laudanda est, atque in cœlos evehenda publicè, cum promissione virtutis præmii, mox mox secuturi. Paucissimis dein pòst diebus, renovanda libertas (hac voce decipitur rudis plebecula) deponendi arma, & quia tantam operam Reipub. (orationis quoque & sesquipedalium verborum magnus hîc usus) navare non modò non detrectâstis, sed, ô laudandi, & historiarum monumentis celebrandi Viri! fortissimis pectoribus vestris Patriam labascentem erexistis, vacationem ab armis, præmium laborum vobis donamus; nisi in maximo salutis Patriæ dispendii periculo vestra in nullo versabitur; pro vobis, conjugibus, liberisque vestris pugnabimus cæteri. Et ut eò meliori fiat omine, his ipsis armis decertabimus, quibus tam fortiter nos &

Patriam defendistis : & quæ præterea Oratores norunt. Mox vel duplicato precio redimenda arma, quæ fortè suâ sponte deposuissent; sed hac ratione securitati magìs consulitur.

XIIX.

Religionem præteribo ? absit. *Sine religione*, ut ait
1.monit.polit.2. Lipsius, *non Princeps officium suum, non subditi facient: sine eâ societas non erit, quia non fides, non justitia, non virtus, sed fraus, licentia, protervitas, & , uno verbo, confusio hominum & rerum.* Ubi verò fuerit Populus in divinis mandatis quâ par est diligentiâ instructus, si docebitur, Non servantibus illa, gehennam, servantibus, vitam felicitatemq; æternam imminere; difficulter fieri poterit, quin legibus Imperantium subditi non obtemperent; atq; adeò forma Reipub. sarta-tecta non con-
lib.5. servetur. Livius sic de suis Romanis : *Patres*, inquit, *non vi agebant, sed precibus, & inter preces multa mentio deorum erat. Religiosum parti id maximè fuit.* Quocirca religionem multi simulare etiam non dubitârunt, ut in
Valer.Max. officio subjectos continerent. *Numa* certè *Pompilius ut*
lib.1.c.2.n.1. *Populum Romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum Deâ Aegeriâ congressus esse nocturnos : ejusq; monitu*
Ibid.n.2. *accepta Diis immortalibus sacra instituere.* Scipio Africanus *non antè ad negotia publica, vel privata ibat, quàm in cellâ Capitolini Jovis moratus esset; & ideò Jove genitus*
Ibid.n.3. *credebatur.* Lucius Sylla *quoties prælium committere destinabat, parvum Apollinis signum Delphis sublatum, in conspectu militũ complexus, orabat uti promissa maturaret.*
Ibid.n.4. Quintus Sertorius *per asperos Lusitaniæ colles, cervam albam trahebat: ab eâ se, quanam aut agenda, aut vitanda essent, prædicans admoneri.* En magnam vim Religionis in Repub. etiam paganâ! hæc, falsa licèt, profecit tamen

men in eâ plurimùm. Propiora si secula attingamus; illustre in Rodolpho Habspurgensi, Romanorum Imp. Ex Cuspin.
exemplum habemus. Is *cùm juramentum à Principibus* Th. Zvvinger. theat.
exigeret, quidam absentiam quorundam causati, recusâ- vol.7. lib.2.
runt. Tum arrepto crucis signo, dixisse fertur : Ecce signum, in quo salvatus est mundus, hoc sceptri loco utemur! Moti hac re Principes, crucem exosculati, fidelitatis juramentum præstiterunt : auxilia contra rebelles, & qui imperii loca violenter sibi usurparent, promittentes. Profectò vix, vel nulla fuit Rerumpub. absque aliquâ specie Religionis: quanta ergo veræ Religionis vis est, cujus umbra sustinuit tantorum imperiorum molem ?

XIX.

Dum hæc omnia, quæ commemoravi, aguntur, observandum probè, ne Optimates omnia, cum plebe naturâ feroci, nimis Aristocraticè agant; à principio præsertim: grave enim id non assuefactæ videretur plebi. Paulatim itaque assuefacienda, ut sensum (qui videtur) mali lentus detrahat usus. Portabit successu temporis cum Milone bovem, cùm antea cum eodem vix vitulum sustulisset:

Ac veluti primò taurus detrectat aratra, Propert.
Pòst venit assueto mollis ad arva jugo:

Ita refractaria antè plebs, lentè dein assueta, jugiter legi obtemperabit, imperantibusque.

XX.

Romani, inquit Livius, *avidè ruendo in libertatem, in servitutem delapsi sunt.* Sed quid vetera loquor? In promtu sunt recentia. Multi ante decennium, illud Cœlii ad Ciceronem, observare debuissent; Vide, ne dum pudet te parùm Optimatem esse, parùm diligenter id, quod optimum est, eligas. Quid observârint, nescio;

Lycosth. apophtheg. de audaciâ, ex Laërt. nescio; illud scio non observâsse, quod *Chilo* prudenter *dicere solebat: Non esse tentanda, quæ fieri non possunt. Quædam honesta sunt, ac magnifica: sed magno Reipub. malo tentantur, si nequeas perficere. Atque hæc est præcipua pars boni consulentis, dispicere, non solùm quid per se optimum sit, verùm quid etiam pro temporum ratione possit obtineri.* Sed ad consilia magis adhuc lenta ut suâ naturâ, sic ideo magis quoque cauta properemus. Simulatio in his nullum, aut potiùs exiguum locum habebit; qualia ferè hæc sunt, jam-jam audienda.

XXI.

Nescio an ulla via ad conservandum statum cujusvis Reipub. rectâ juventutis educatione sit securior, imò & certior. Hæc altera natura verè dici potest. Tanta enim vis est educationis, ut quicquid illa impresserit, non facilè deleatur. Nec minorem eradendi vim habet, quæ à naturâ etiam ipsâ impressa sunt. Quod ostendere voluit Themistocles. hic quoniam adolescens feroci multiplicique ingenio videbatur, mirantibus mutatos *Plut. in vit. ejus.* mores dicere solebat: *Asperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, si quis ipsis adhibeat disciplinam, rectamq; institutionem.* Educandi verò animi puerorum, dum molles sunt. Ut gypso madido utimur ad exprimendas eò faciliùs figuras, mox indurandas; sic fingenda ætas rudis, priusquàm durior, non admittat fingentis manum.

XXII.

At quia aliter juventus in Regno educanda est, aliter in Optimatum, aliter in Populi imperio; videndum probè, quid conducat præsenti statui Reipub. In Aristocratico statu maximè id observandum, ut liberi Optimatum, atq; plebejorum separatim educentur. His enim

parendi studium atque artes, observantiaq; summa erga superiores, summè inculcanda: illis amor inferiorum atque imperandi artes. Etenim *non omnibus omnia conveniunt.* Et quia *studia*, ut verè dicitur, *in mores abeunt*; ideo iis studiis instruendi sunt juvenes, quibus moribus quemque esse expediat Reipub. Nihil à quoquam illorum expeti debet, nisi cujus fructus antè prævisus sit.

XXIII.

Libri, quicumque altum spiritum frangunt, jucundis Historiolis (ad conciliandum plebejæ juventuti lectionis desiderium) referti, ut evulgentur, procurandum. Probitas tamen atque pietas absit ut contaminetur; promoveatur potiùs: hæc enim est, per quam maximè Patriæ Principibus, à subjectis, officium & diligens tribuitur cultus. Nimis verè Lipsius; *Pietas*, inquit, *de unâ Relig.* *& Dei metus quasi frenum est, & coërctio in animis, ab omni rebellione, & insolenti metu.*

XXIV.

Nec virtutes Ethicas prohibeo, sed humiliores illas malim, quàm Heroicas (quarum paucus est numerus) eam doceri. Ad distinguendas verò illas judiciosos Præceptores velim admoveri.

XXV.

Si deliquerit, paulò severiùs corrigendam duco: si verò mitiùs aliquando (ne ad nimiam severitatem juventus occalleat) agendum Præceptores existiment, semper delicti notitia dissimulanda est. Cavendum verò, ne hæc dissimulatio se ipsam prodat: quod facilè evenit, si nimia sit; nimis enim pressa erumpit. Optimè hic simulare potest, de quo dubitatur, simulare posse; addo: eum adhuc meliùs simulare posse, de quo opinio

vulgi, non posse simulare: Dissimulanda itaque ipsa dissimulatio est ei, qui vult mereri solers simulator dici. Certè *doli* (ut quidam bellè ait) *non sunt doli, nisi astu colas.*

XXVI.

Exercitia plebejæ sobolis, aut lusus pueriles quod attinet, quantum fieri potest, in id incumbendum, ne seditionum, tumultuum, & similium animos pueriles efferantium rerum, edant speciem. Tam enim verum est illud, quàm quod verissimum:

Horat.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. ------

XXVII.

Et hæc sunt, quæ in institutione plebejorum liberorum inter cætera, in considerationem venire debent. Patriciorum verò, & nobiliorum liberos, ô quàm diversa adhibenda est educandi ratio! Socrates dicebat; *Optimè natis, ingenuisq; potissimùm adhibendam rectam institutionem. Idem enim in his usu venire, quod in equis, in quibus qui feroces sunt, ac generosæ indolis, si statim à primis annis rectè instituantur, egregii, & ad omnem usum accommodati evadunt: sin minùs, efferati, intractabiles, & ad nihil utiles.* Sciebat Virorum sapientissimus, magnorum ingeniorum magnos impetus esse, in utramque partem. Quare Themistocli sæpè ipsius pædagogus, inter spem & metum anxius, dicere solebat: *Nihil mediocre futurus es, ô puer! nam aut magnum bonum eris Reipub. aut magnum malum.* Generosa certè indoles, si accedat recta institutio, magno bono est Patriæ: si ad vitia degeneret, ingens adfert malum.

Erasm. apophthegm.

Plutarch. in Themist.

XXIIX.

Ideo, quicquid magni, quicquid solidi Scriptores pro-

prodidêre, ne lateat generosam prolem. Absit autem, eam aliquid ex vano haurire; magisq; ei Scriptores laudem, & memoriam rerum egregiè gestarum persequentes, commendentur,

Auson.

Quàm qui furta Deûm, concubitusq; canunt,
Falsidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisq; Deos adsimilant vitiis.

XXIX.

Quia verò conversatio etiam multum momenti adfert, in tenerâ præsertim ætate, ad mores, tam optimæ, quàm pessimæ notæ formandos; summâ ope niti debent imperantes, ne illorum liberi, nisi illis sese frequenter associent, quorum conversatione ad Rempub. formari videantur: *Paulatim* enim, ut Seneca (nî fallor) loquitur, *descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri.* Quæ res me vehementer movet, ut consortium liberis nobilium cum plebejis omnino prohibendum censeam; ne vel illos abjectos, vel hos generosos, utrosq; verò ineptos consuetudo reddat.

XXX.

Et tantum de educatione juventutis; quæ, teste Philosopho, imò teste ipsâ ratione, *plurimùm facit ad præsentem cujusvis Reipub. statum conservandum*; modò pro naturâ Reipub. juventus educetur. Jam alia quoque valde ad conservandum in Repub. statum Aristocraticum utilia attingamus. Opera danda est inter alia, ne cum plebejis commisceatur patricius sanguis:

Deianira Herculi apud Ovid.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci:
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

Ut & econtrà. Sed & alia magna inde incommoda, ad quæ maximè hoc loco respici debet, nascantur necesse

est: putà Patriciæ existimationis, atque authoritatis diminutio; plebis elatio, Aristocraticæ Reipub. funesta; degenerque proles.

XXXI.

Nec minùs utile est, ne necessarium dicam, ad status cujusvis etiam Reipub. non Aristocraticæ modò, conservationem, ut sæpè Respub. ad sua principia reducatur. Hanc artem magnificat artifex ille magni nominis Machiavellus. Facilè certè Respub. tam injuriâ eorum, qui Rempub. administrant, quàm progressu ipso temporis aliquid tale attrahit, quod si non abscindatur, totum corpus Reipub. inficit, & mutat formam.

XXXII.

Cæterùm, quoniam *munificentia* quoque *publica*, ut Tacitus vocat, valdè mitigat plebis ferociam; ideo pontes, portus, academiæ, templa, & his similia publica ædificia magnifico ornatu extruenda sunt. Eò certè alacriùs populus publicum quoque augebit ærarium, cùm viderit priorem pecuniam non in privatum tantùm Principum commodum, verùm etiam in salutem, ac splendorem Reipub. conversam esse.

3. Annal.

XXXIII.

Hac in re Romani ô quàm admirandi! Quicquid artificum Græcia aut Asia habuit, Romam evocabantur; quibus (ut Historici verba usurpem) *ingenium, & audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare*. Argumento sint tot insanæ illorum structuræ. Ut tot templa, amphitheatra, fora, balnea, statuas, vias publicas, aquę-ductus, pontem in Danubio, aliaq; opera stupenda taceam; Capitolium lustremus. De hoc quid dici magnificentiùs, quàm illud Historici, potest? *Voverat*, inquit ille, *Tarquinius Priscus Rex bello Sabino, jeceratq; fundamenta, spe magis futuræ magnitudinis, quàm quo modicæ adhuc populi Romani res sufficerent: pulsis verò Regibus, Horatius Pulvillus iterum Cos. dedicavit*, (nota splendorem, maximumq; sumtum) *eâ magnificentiâ, quam immensæ postea populi Romani opes, ornarent potiùs, quàm augerent.*

Tacit. 15. Annal.

Tacit. 3. hist.

XXXIV.

Ad tantos sumtus erogandos non voco. admiranda enim magìs hæc sunt, quàm anxiè imitanda: pro modulo tamen cujusvis Reipub. liberalitas, etiam magnificentia aliqua, in talibus est usurpanda.

Cap. III.

In quo Arcana, quorum ope status Aristocraticus contra Regnum se tueri possit.

Sect. I.

Et tantum de Arcanis Aristocraticis contra Democratiam. Sequuntur nunc eadem contra Regnum. Suntque hæc, secundùm Clapmarium, occultæ rationes præcavendi, ne aliquis Optimatum nimis potẽs fiat, adeoq; Imperium invadat.

II.

Facilè certè inter tot potentes, inveniri ambitiosulus aliquis potest, cujus mens eò tendat, ut opprimat alios, & solus rerum potiatur. Nihil magìs innatum est potentibus, quàm nimia majoris potentiæ cupiditas:

Creverunt & opes, & opum furiosa libido,
Et cùm possideant plurima, plura petunt.
Quærere ut absumant, absumta requirere certant,
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.

Ovid. 1. Fast.

Sic, quibus intumuit suffusâ venter ab undâ,
Quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ.

III.

Infinita exempla suppeditant historiæ; soli nunc Cæsar, & Octavius sint speculum nobis. Oppressit uterque Patriæ libertatem, quia omissa sunt arcana contra servitutem. Scævolæ illa verba coram Porsenâ Hetruscorum Rege, alio quidem sensu prolata, at ominosa tamen, *Et facere, & pati fortia, Romanum esse*, habere hîc locum videntur. Nulla profectò libertati assuetis passio atrocior est servitute, atque fortior; subière ecce hoc durum jugum Romani. *Unus* (Suetonii verba de Cæsare) *ex eo tempore omnia in Repub. & ad arbitrium administravit.* Et de eodem iterum idem: *Cæsar*, inquit, *societatem cum Pompejo, & Crasso iniit, ne quid ageretur in Repub. quod displicuisset ulli ex tribus.* Sed supervacaneum est probare hanc Julii Cæsaris tyrannidem, cùm sit tàm nota quàm quæ notissima. Recenseamus potiùs, quæ omiserunt Romani proceres, in unius dominatu præcavendo, & recensendo discamus cavere,

Tibull. lib. 1. Eleg. 6. *Ne pigeat magno pòst didicisse malo.*

IV.

Cæsarem itaq; respicere liceat: hic adjutus à Pompejo, ut suprà innui, eam sibi potentiam adquisivit, ut & Pompejus, & Romana libertas, illo sic volente, unà interierint. Fit plerunq;, (quod & Romanis, ut scimus, accidit) ut inerti Reipub. conniventiâ tàm altas radices agat viri alicujus cũ ambitione juncta potentia, ut aut omnibus ad medendũ concidat animus, aut nõ nisi serò,

1. de remed. Amor. *Cùm mala per longas invaluêre moras,*

jam inutili curâ tentetur medicina.

V. Mi-

V.

Miror certè vel maximè, Romanos illud in Cæsare non observâsse, quod in brevitate Dictaturæ aliàs rectè judicabant. Nefas certè fuit apud eos Dictaturam ultra sex menses retinere, teste Pomponio: quia fuit nimis magna potestas. Supra enim Coss. etiam, ut notum est, hoc fuit Imperium: horum verò, ut minoris Imperii, diutior quidem, attamen tantùm annua fuit potestas. Sed & potestatum Provincialium, & majorum Magistratuum (ut ex Livio, Dionysio Halicarnasseo, & aliis Historicis vulgare est) non diuturna fuère imperia: & habebant rei causam, imperio valdè salutarem.

VI.

At de Cæsare quid Cicero ad Atticum? *Nam quid* lib. 7. epist. 9. *imprudentius?* (verba sunt ejus.) *Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso, per vim, & per factionem datos: præteriit tempus, non legis, sed libidinis tuæ. fac tamen legis: ut succedatur, decernitur. Impedis & ais: habe mei rationem; habe tu nostrûm. Exercitum habeas diutiùs, quàm populus jussit, invito Senatu?* Graviter sanè, ut non modò non increpari, sed summè à Bruto, à bonis, à Repub. laudari possit, debeat.

VII.

Utinam is perpetuò talis fuisset! Sed ô quàm dissimilis sui est Cicero! Quare rectè eum increpat Brutus; quòd magnis honoribus (ô grandem, & tali Senatore, liceat mihi sic loqui, indignam levitatem!) adolescentem Octavium adversùs Rempub. armâsset. Cùm enim à morte Caji Cæsaris Rempub. perturbaret Antonius, Cajum hunc Octavium Cæsaris propinquum, viginti annorum adolescentem, tertiâ illâ contra Antonium oratione, miris laudibus Senatui commendabat; & suadere

dere cœpit, ut non habitâ illius ætatis ratione, crearetur Consul, adductis ex veteri memoriâ multis exemplis, quamobrem id fieri posset; refutatis etiam iis, quæ metuenda videbantur. Fidem suam obligare se profitebatur Senatui, semper illum talem fore civem, qualis tum esset, qualemq; eum maximè velle & optare deberent. Imò rogatus aliquando sententiam, censuit, ut ea, quæ Octavianus Cæsar egisset, publicâ autoritate confirmarentur; & milites, qui ab Antonio ad Cæsarem transiissent, præmiis afficerentur. Malâ quidem fide eum egisse cum Repub. absit ut putemus; imprudentiæ tamen magnæ omnino arguendus.

IIX.

Sed Cæsarem ut primum Reipub. invasorem, nunc tantùm consideremus; & quidnam nimis vehementer eum inter alia ad tam grande facinus audendum extimulârit, videamus. Funebris illa oratio de Juliâ amitâ satis superque declarat: in qua eum hæc verba, per summam ambitionem protulisse, apud Suetonium
in Jul. reperio: *Amitæ meæ maternum genus à Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater. A' Venere, Julii, cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas Regum, qui plurimùm inter homines pollent; & cerimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt Reges.*

IX.

Magni certè periculi res est, in liberâ Repub. eos habere cives, qui originem ducunt à Regibus quibuscunque, etiam exteris. quiescere enim tales in minori fortunâ vix quicquam possunt: multò minùs verò illi quiescunt, qui à Regibus illius, in qua degunt, Reipub. origi-

originem trahunt. Hæc res permovit Romanos ad pellendos civitate Tarquinios.

X.

Eleganter admodum Brutus ad Tarquinium Consulem: *Hunc tu*, inquit, *tuâ voluntate remove metum.* *Liv. lib. 2.* *Meminimus, fatemur, ejecisti Reges: absolve beneficium tuum, aufer hinc Regium nomen. Res tuas tibi non solùm reddent cives, autore me; sed si quid deest, munificè augebunt: Amicus abi, exonera civitatem vano forsitan metu. Ita persuasum est amicis, cum gente Tarquiniâ regnum hinc abiturum.* Cessit itaque cum totâ gente Tarquiniâ, metuque liberavit timidam Rempub. cujus timor, nisi cum hoc Regio ortu sublimi nomine forsitan nunquam defecisset.

XI.

Quare cavendi valdè sunt, qui splendore familiæ nimis præ aliis superbiunt; magis tum, si admodum numero sint exigui, at maximè, si unus. magis enim semper talem stimulat ambitio, ut omnes præ se despiciat, pudoreque suffundatur, tam imparibus sibi genere civibus, fortunâ, honore, libertate, parem se censeri. Ne verò tales reperiantur, præcavendum vel lege, vel (quod magis placet) arte aliquâ, ne quis ex Optimatibus, vel Regis, vel Principis alicujus nimis potentis filiam in matrimonium ducat; partim, quòd nati ex hoc matrimonio superbiant ortu, partim etiam ille ipse superbiâ stimulante, tantâque affinitate fultus, periculum est, ne cogitet, cæteris timenda.

XII.

Magnus honor, & magna potestas, pari passu, non, vel raró ambulent, sed sæpè cui plùs honoris, minùs

e

potestatis deferatur. Id quod haud inutiliter quasdam videmus observare Respubl. *Ea est Aristocratiæ bene*
2.de Rep.6. *constitutæ ratio*, ait Bodinus, *ut quò plùs honoris, eò minùs imperii tribuatur; & qui plùs imperio possunt, minùs honoris adipiscantur: ut omnium optimè Veneti in Repub. constituendâ decreverunt.*

XIII.

Optimè hîc ab eo Respub. Veneta allegatur. Ut enim in eâ cæteros in honore magno, cui potestas non respondeat, collocatos taceam, Ducem, & Magnum
Synops. de Rep. Venet. cap. 2. Cancellarium videamus. Ille, si credimus Cotovico, *Regiam speciem habet, ac gravitatem, dignitatemq; Regis servat; venerabilis in eo cultus; sedem habet in suggestu veluti regiam; omnes cives, tum privati, tum Magistratum tenentes, detecto capite, & stantes sedentem alloquuntur, ipse verò nulli assurgit; cunctæ epistolæ Reipub. sub nomine ipsius prodeunt, obsignanturq; sigillo plumbeo: decretorum, legum, ac senatus-consultorum promulgationes nomine ejus fiunt; nummi omnes, tam aurei quàm argentei, cum nomine ac figurâ ejus excuduntur. Speciem vides regiam, cùm tamen nimis exigua sit ejus potestas. Nam, testantibus Venetis Scriptoribus, solus nihil efficere valet: aliis verò Magistratibus adjunctus, non amplius autoritatis obtinet, quàm quivis illorum, qui eo Magistratu funguntur.* Cancellarius verò, qui & Magnus appellatur, in maxi-
cap.6. mo quoq; est precio & honore. Nam *equestri dignitate insignitur; à quovis Patricio ei loco ceditur, præterquàm à Procuratoribus D. Marci:* (qui etiam, Bodino
3.de Rep.3. teste, magnis honoribus cumulantur, sed imperio vacant.) *magni præterea sunt ei reditus ex ære publico assi-*
Ibid. *gnati.* Summâ: *honor maximus, sine imperio tamen*; ut vult Bodinus.

XIV. De

XIV.

De Magistratu quoq; cum potestate aliquid dicendum est. Nollem omnino ulli, nisi in maximâ Reipub. necessitate, Dictaturam concedi; idq; ad brevissimum tempus. Nam & semestre magnum videtur. Perpetuum verò Dictatorem dici, vix est aliud, quàm Rempub. in dominatum unius commutare. Qualis qualis autem aliàs sit potestas, illa sit aut prorsus non diuturna, aut omnino perpetua. Sed videndum, ne una aliqua, sed plures perpetuæ sint: summè enim id observandum, ut quædam æqualitas inter Optimates, si non inter omnes, at inter aliquos saltem, semper appareat.

XV.

Ut verò perpetuum maximè probem Magistratum, multæ me rationes valdè movent. Inter eas verò hæ potissimùm. 1. Majori studio publicæ res in eo tractantur, quod minori fit in interrupto. In hoc enim majori aviditate (quam timor deponendi Magistratus mirè subministrat) rebus studetur propriis, etiam absque pœnæ metu. In statu enim polyarchico rariùs, propter sanguinis vinculum, in nocentes animadvertitur. 2. Disceditur sæpè magistratu, cùm nondum satis perspecta est illius Magistratus facies: secùs fit in non interrupto, in quo assiduus usus, rerum magister optimus, artem docet imperandi. 3. Accedit & illud, quòd in perpetuo Magistratu res velut quodammodo propria cordi magis habeatur. 4. Denique livor in illo non est tantus erga successores, ut in temporario. In hoc enim quàm sæpè is se prodit, etiam apud magnæ virtutis homines? Lucius Lucullus, & Scipio Africanus, duo illustria Romani Imperii sidera, exempla sunto. Ille, indignè id tulisse dicitur, quòd bello Mi-

Liv.lib.30. thridatico Pompejum successorem accepisset. Hic, quamvis deletæ Carthaginis laudem summoperè affectârit, tamen reputans secum, quàm longi temporis tam munitæ ac validæ urbis obsidio futura esset, expectatione successoris ad paratam suo labore ac periculo finiti belli gloriam solicitatus, ad pacem animum tantò faciliùs flexit; majore hostium, quàm suorum commodo.

XVI.

Ex his paucis, quæ commemoravimus, manifestè patet, perpetuum Magistratum, temporario, Aristocraticæ Reipub. ut & Monarchicæ, utiliorem esse. Secus est in Democratiâ, propter illas rationes, quas postea, cùm ad artes Democraticas contra Regnum ventum erit, recenseri audiemus. Ita

Ovid.2. Trist. *Nil prodest, quod non lædere possit idem.*
Eripit interdum, modò dat medicina salutem.

Quòd si in Aristocratiâ etiam, temporarius Magistratus magis placeat, minus malum eligendum est; omnino non sit diuturnus.

XVII.

Hoc imprimis Aristocratici sedulò observent, ut familiis extinctis, novæ ocyùs sublegantur; tum ne Nobilium potentia diminuatur, tum etiam, ne summa Reipub. ad nimis paucos redigatur. Observavit post Liv.lib.2. ejectos Reges Brutus, qui *cædibus Regiis diminutum patrum numerũ, primoribus equestris gradus lectis, explevit.*

XIIX.

Si verò quid caveri debet, hoc certè maximè; ne quis ex Optimatibus arces, aut oppida propria in munito loco ædificet. O' quàm optimè cuidam hæc Magnatum munimenta, ambitionis aggeres vocantur! *Vale-*

Valerius Consul (verba sunt Historici) *affectati regni in suspicionem venit, quia ædificabat in summâ Veliâ: ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore. Itaque delatâ confestim materia infra Veliam, domus in infimo clivo ædificata.* Unde pòst latum quoq; ad populum est: *ne quis Patricius in arce aut Capitolio habitaret.* Meritò illud: haud raro enim nimis munitarum urbium, atque arcium Domini à Reipub. illius, cui suberant, Majestate deficiunt; sæpissimè aliqui motus ex his claustris erumpunt, aut in illa tutos habent receptus; invitante ad peccandum tot munimentis, fossisq; superbâ rebellandi securitate. Ergo non immeritò meretur laudem Eques quidam auratus; qui *ædificatâ in Rauracis ad Arolam arce munitissimâ,* Besserstein *dictâ; cùm filios duos etiam-num impuberes seriò inter se colloquentes audisset, post patris obitum se hâc sede munitissimâ ad opprimendas vicinas regiones usuros: supellectilem omnem ex arce deportari curavit, & filios ob tam nefaria consilia verbis primùm severè correptos, faces arci injicere, & funditus exurere coëgit; ne causam tyrannidis ullam haberent. Dignus certè,* meo etiam voto, quod optimè Stumpfius optat, *cujus nomen ob hoc factum mandatum memoriæ foret.*

Liv.lib.2. — lib.6. — Stumpf. lib.12. rer. Helv.

XIX.

Nec minùs nimius luxus prohibendus. Ex hoc namque egestas oritur, & inde quid nisi rapinæ proveniunt, & quidem rapinæ sæpenumerò publicæ? Quare cavendi sunt illi, qui divitiarum non alium fructum putant, quàm profusionem; cùm enim sua profuderint, publicâ ruinâ nonnunquam volunt privata resarcire. Arridet eis illud cujusdam Poëtæ:

Unde habeas, quærit nemo, sed oportet habere.

XX.

Sed nunc veniamus ad remedia jam crescentis potentiæ. Si nonnunquam accidat, ut unus in Repub. vel propter res gestas, vel per Collegarum negligentiam, vel aliâ quâcunq; de causâ, potentiâ nimiâ supra cæteros crescat; ibi tum, consulente Arnoldo Clapmario, *frangendæ sunt ejus vires, sed per ambages, & circumductione aliquâ; ne si continuò præcipitetur, causam habeat extrema, eaq; præcipitia, ac Reipub. periculosissima experiundi.* Addit ad hæc monitum Periclis, *ut præcipuæ nobilitatis, & concitati ingenii juvenes refrenentur: nimio verò favore ac profusâ indulgentiâ pasti, quò minùs potentiam obtineant, ne impediantur. quòd stultum sit, & inutile, eas obtrectare vires, quas ipse foveris.*

2. de Arcan. 11.

XXI.

Apud Græcos olim erat quoddam suffragiorum genus, nomine Ostracismi dictum, eò, quòd per calculos, aut, ut Græcæ linguæ periti volunt, per testas ferretur: ad hoc repertum, ut per id, qui vel opibus immodicis, vel nobilitate, vel gloriâ, vel insigni aliquâ virtute super alios crevisset, in decennale exilium relegaretur, metu, ne Rempub. occuparet. Hoc Aristides, justissimus licèt Virorum illius temporis, à nimis Regni timidâ Repub. damnatus est. Isto tanquam civitati purgandæ medicamento, constituto tempore nimis rigida utebatur antiquitas; cautione profectò minùs probâ, minùs honestâ, minùs justâ; & quæ ab Ephesiorum scelestâ lege, quâ quis frugi esse vetabatur, parùm differre videtur. Ipse Aristoteles, etsi nō diffiteatur omnino, inesse Ostracismo qualem qualem justitiam civilem; tutius tamen arbitratur, providere ab initio, ne tali medicinâ sit opus.

XXII.

Factionem hîc aliquam vehementer probo, sed non inter probos. Proborum itaque concordia fovenda; discordia verò, in semine ipso comprimenda. *Lacedæmonii cùm periclitarentur, ac de civitate mœnibus cingendâ consultarent: Isæus Sophista* (concordiam rerum stabilimentum innuens) *Homericum carmen recitavit:*

Lycosth. apophth. de concord. ex Philostr.

Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir.

Et adjecit: Sic mihi state Lacedæmonii, & muris cincti sumus. Instar alicujus oraculi sit hoc Optimatibus, quod Aristoteles ait: *Paucorum dominationem, si concors sit, non facilè à se ipsâ ruere.* Secùs fit in discordia Principum Reipub. Tum duplex metuendum est incommodum. Primum ab externo hoste, cui facilis per domesticas turbas, atque occupationes in Rempub. patet aditus. Unde talis querela ex intimo erumpit pectore:

5. Polit. 6.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en, quò discordia cives
Perduxit miseros? en queîs consevimus agros?

Verg. Eclog. 1.

XXIII.

Sed & alterum à domestico invasore est metuendum. Audiamus, quid prudens ac eloquens dicat Romanus Senator: *Non alius*, inquit, *solet esse discordiarum exitus inter claros, & potentes Viros, nisi aut universus interitus, aut Victoris dominatus, & regnum.* Subiit hoc grave jugum liberrima Roma: hei quàm longè mutata est! discordiis id inter alia acceptum ferendum. Adeò verum est illud Salustii: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Ut singula hastilia facilè frangas, conjuncta non possis: ita diffidentes facilè superantur, concordes haud facilè. Adde, quòd & ipsum tædium turbarum aliquando Principem

Cicero de arusp. resp.

in Jugurth.

Salom. Neugeb. lib. 2. hist. Pol. crect. Cùm *duodecim illi Duces, seu Palatini,* Wojevodæ vernaculâ linguâ, qui soli, stirpe Lechi deficiente, Polonorum Imperii fasces obtinebant, *ad ambitionem versi suo quisque nutu omnia geri vult, & rem privatam, potentiamq; suam augere studet, assentari multitudini, ejusq; licentiam alere, suos quisq; per fas & nefas defendere, & evehere, terrori esse iis, quos benevolentiâ sibi adjungere non posset: inde tandem contentiones, simultates, & factiones à studiis partium sunt exortæ, quæ Rempub. funditus evertere cœperant. Pertæsi igitur Poloni, quæ sub duodecim Palatinorum Imperio ipsis incubuerant, ad unius Principatum respexêre, & aliquid degustatâ libertate ipsis sibi detrahere, quàm perire prorsus volebant.*

XXIV.

Quamobrem Optimates, quoscunque proniores ad factiones, tumultus, & seditiones excitandas viderint, summo studio procurabunt, ut eos beneficiis, favore, largitione, aliisque artibus sedatiores reddant. Inquirendum sedulò est de causis, ob quas possent tumultus, seditionesq; movere; num quia pauperes, divitias quærant, aut quia illustri admodum prosapiâ, præclarisq; Majoribus orti, ambitione moveantur; aut num odio in aliquos, & quamobrem concitentur? Et pauperes quidem largitionibus venari oportet; ambitiosi dignitatibus favore, honoribus lactandi; at odio irritati satisfactione aliquâ placandi sunt: idque omnino in primo fervoris principio agendum est, antequam his stimulis fortiùs concitata in turbas præceps prorumpat audacia.

XXV.

Inter malos tamen factiones aliquæ nonnunquam utiles; ne in malum tam contra Rempub. quàm etiam con-

contra Imperantes consentiant. Offert nunc sese mihi haud inopportunè jucundus quidam prudentis fabulatoris apologus; indicans falsè, malorum diffidia esse bonis sæpè salutaria. Consociatâ operâ rem communiter gerebant facinorosi duo, unus fur, alter sicarius. Quâdam nocte venêre in ædes agricolæ, ut putabatur, non pauperis: cujus cùm non solùm ædes compilandas, sed etiam abigenda animantia fur censeret: rectè, inquit sicarius; illo interfecto omnia exequi poterimus; priùs tamen, inquit fur, bovem unam aut alteram educamus, ut, si fortè tumultus oriatur, & fugiendum sit, aliquid abstulerimus. Non placet hoc mihi, inquit sicarius; ne paterfamiliâs strepitu excitatus eripiatur manibus meis. At hoc, fur, melius est, inquit: imò illud, inquit sicarius. Ita inter rixas, iratus fur patremfamiliâs inclamat, & vigilare jubet, ne vitam amittat, qui excitatus etiam res suas servavit.

XXVI.

Catoni certè hoc arcanum non displicuit, imò etiam ut valdè utile atque salutare in suis servis observavit quàm diligentissimè: *Semper contentiunculas aliquas* (Plutarchi refero verba) *aut dissensum inter servos callidè serebat, suspectam habens concordiam eorum, metuensq;.* (in Caton. major.) Faciendum idem, si necessitas urgeat, etiam in Repub. Apud Spartanos certè in usu fuisse, Ubbo Emmius Frisius notat: *si Legati ad Civitates, aut Principes,* (in Descriptione Reip. Laconum.) *aut Reges, tractandis rebus magnis mittendi essent; ut non amici inter se, sed æmuli mitterentur: quò & diligentiùs, & fideliùs expedirent, quod in mandatis habebant. Quod sæpè Reipub. magno bono traditur fuisse. Idem utplurimùm observatum in iis, qui Regi aut Duci in bellum eunti, ut à consilio ipsi essent, adjungebantur: quos alienis ab ipso ani-*

mis, quàm amicitiâ devinctis esse maluerunt. Attamen cum modo, summâque cum ratione, atque prudentiâ, id fiat necesse: & ut gliscere magis inter aliquos æmulationes, quàm ardere videantur.

XXVII.

Inter Potentes præsertim. Quòd si inter hos negligentiâ aliquâ Imperantium exarserint, artificiosè ac prudenter in ipso ardoris principio dirimendæ sunt. Nulla namque in discordiis civilibus, atq; Magnatum dissensione tutior festinatione res est; tùm temporis facto magis, quàm consulto opus. Quod nî fiat, magno eos cum periculo Reipub.

Senec. in Thyest. choro, Act. 3.

----- *Tenebit*

Ira, cùm magnis agitata causis

Gratiam rupit, cecinitq; bellum.

XXIIX.

Tum verò quid nisi timor restat, ne eum in statum Respub. deducatur, ut ipsius intersit, omnem potestatem in unum conferri? Ipse M. Tullius vel invitus fatetur, eum statum fuisse Reipub. Romanæ, ut eam unius consilio atque curâ gubernari fuerit necesse. Hoc cùm fit, suspiria incassum eunt, & vota Ciceroniana:

9. ad Attic. 12. *Utinam* (inquit ille, de dirimendis controversiis Cæsaris, & Pompeji) *in hac miseriâ Reipub.* πολιτικὸν *opus efficere, & navare mihi liceat?* πολιτικὸν, inquit, opus: ô quàm verè! Hac enim in re singulari arte opus est, atq; prudentiâ. At hujus certè Senatoris, licèt magna illa atque singularis, minor tamen fuit, probâ & salutari ejus voluntate.

CAP.

CAP. IV.

In quo Arcana, quorum ope status Democraticus, contra Aristocratiam, se tueri possit.

SECT. I.

Absolvimus hactenus arcana Optimatum contra Populi, & Regni imperium: sequuntur nunc arcana Democratica tam contra Optimates, quàm contra unius imperium. Democratiam hîc cum Bodino, pro eo statu 2. de Rep. 7. sumo; in quo cives universi, aut maxima pars civium, cæteris omnibus, non tantùm singulatim, sed etiam simul coacervatis, & collectis, imperandi jus habent.

II.

Rejicimus hîc Plebis infimæ in universos cives imperium: qui status Aristoteli Democraticus dicitur. Corruptus sanè. Contra naturam enim esse videtur, ut illud regat, quod nisi regatur, miserè intereat. Docenda est plebs, non sequenda. Quomodo enim viam monstret aliis, quæ viam, quâ ducat, ignorat? Pulchre Arnisæus; *Non bene*, inquit, *conveniunt, nec in unâ manu tenentur stiva, & sceptrum. Et quem rustici labores exhauserunt, non satis roboris habet animus ad molem imperii sustinendam.* Abominationi itaque recto animo meritò esse debet talis status Reipub. Quo omisso, ad Popularem redeamus; i. e. talem, quem Bodinus Democraticum appellat, in specie Rempub. Aristoteles. De verbis non litigando, rem ipsam aggrediemur. de Repub. lib. 2. cap. 5. sect. 1. n. 8.

III.

Quia verò & in hoc populari statu, ubi vi, aut multitudine votorum res agenda est, sæpè plebs futura est superior, vix & hic status seriò placebit. Licèt, si consideremus modò nominatæ plebis solius infimæ in universos cives imperium, ut omnis potestas penes illam sit, penes verò cæteros obsequium tantùm; status noster popularis rectus erit; pessimus alioquin, sed inter rectos. Certè Lycurgo hic status præ Aristocratico valdè displicuit; Is *cuidam postulanti, ut in civitate pro Aristocratiâ popularem gubernationem constitueret: Tu fac*, inquit. *priùs domi tuæ Democratiam instituas.* Compendio docuit prudentissimus hic Legislator, eam Reipub. speciem non esse utilem civitati, quam nemo vellet esse in suâ familiâ.

Plutar. in Lycurg.

IV.

Ut tamen minùs infeliciter in hoc statu Reipub. vivatur, consideratis tribus Reipub. in specie dictæ diversitatibus, (quas Aristotelem innuisse dicit Arnisæus) inter eas eligatur optima necesse est: *Prima ad Democratias retrahitur, quando videlicet omnes cives, quatenus singuli æquo jure ad communionem Reipub. admittuntur. Quia enim multitudine prævalet plebs, ubiq; imperium anticipat, & potentioribus aufert. Aliter autem totus ordo Nobilium, cum toto ordine plebejorum concurrit, ita ut nec his sine illis, nec illis sine his, quicquam de Repub. decernere fas sit; nisi de consensu utriusq; partis æquato. Hic enim jura Majestatis manent indivisa penes ambos ordines. Sed in tertio genere (quod Rempub. constituit mixtam) divisim singulis attribuuntur.* De mixtâ formâ Reipub. non est propositum nobis agere: inter priores duas, Reipub. hujus popularis administrandæ diver-

Arnis. de Repub. lib. 2. c. 5. sect. 3. n. 39.

sitates, quæ nam sit melior, populoq; salubrior, ex his, quæ paulò antè dicta sunt, facilè perspici potest.

V.

Sed omissâ ulteriori divisione graduum hujus popularis Imperii, Democraticâque Bodini definitione retentâ, hujus status Arcana quædam contra Optimates promemus. Quædam ex his, quæ penè eadem sunt, quæ Optimatum contra statum Popularem, sed inverso ordine, reticebimus. Petantur ex secundo capite, quæ de injuriâ; de occasione ad quicquid imperium sapit, præcidendâ; de egestate, & fame; de conventibus; de liberorum educatione; & quæ alia judiciosus adaptare poterit, dicta nobis sunt.

VI.

Sed sunt & alia occulta consilia in imperio Populi, quæ tamen vix occulta manent. tam multis enim hæc auribus commissa, multifariam erumpunt. Populus enim, ut quidam ait, plenus est rimarum, hàc atque illàc perfluit.

Semper aquam portes rimosa ad dolia.----

Aristoteles interrogatus, quídnam in vitâ difficilimum esset: Tacere, inquit, quæ dicenda non sunt. Difficile sanè, etiam uni, quantò difficilius multitudini? Veneti in hunc finem siverunt invalescere in Repub. periculosam Decemvirorum potestatem, Dictatoriæ, ut censet Janottus, similem; tantùm ne in universum Senatum arcana diffluerent. Videbant enim arcana non satis tutò, ne Senatui quidem, nedum toti concioni committi posse. Senatorum tamen hìc Romanorum fidem, & taciturnitatem meritò nobis mirari liceat. Sic de illis Valerius Maximus: *Adeò magnâ charitate Patriæ omnes tenebantur,* (ejus verba retineo) *ut arcana consilia*

de Repub. Venet.

lib. 2. cap. 2.

Patrum conscriptorum multis seculis nemo Senator enunciaverit. Q. Fabius Maximus tantummodò, & is ipse per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod secretò in Curia erat actum, P. Crasso, rus petens, domum revertenti in itinere narravit, memor eum triennio antè Quæstorem factum, ignarusq; nondum à Censoribus in ordinem senatorium allectum: quo uno modo his, qui jam honores gesserant, aditus in Curiam dabatur. Sed quamvis honestus error Fabii esset, vehementer tamen à Coss. objurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant. Ergo cùm Asiæ Rex Eumenes, amantissimus nostræ urbis, bellum à Perse adversùs Pop. Rom. comparari Senatui nuntiâsset, non antè sciri potuit, quid aut ille locutus esset, aut Patres respondissent, quàm captum Persen cognitum est. Fidum erat & altum Reip. pectus Curia, silentiiq; salubritate munitum, & vallatum undiq;: cujus limen intrantes, abjectâ privatâ charitate publicam induebant. Itaque non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum. Sed

Hor. lib. 3. od. 6.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ubi nunc Romani? ubi Romana fides? vix tot homines hodie reperias, quot olim centurias, quibus hæc placebat. Quâ de causâ & Poloni minorum gentium Senatores, *qui posteriùs in consilium adhiberi cœperunt, à consiliis secretioribus nonnunquam excludunt.* Consiliis firmatur Resp. & consilia frustrà capiuntur, nisi tegantur. Et id quoq; causæ est, cur Populi imperium durabile non sit, sed maximis obnoxium mutationibus.

Salom. Neugeb. hist. Pol. lib. 1.

VII. Si

VII.

Si quid verò interest in Democratiâ, illud certè maximè, ut ii imperent, qui & populares sunt, & præsentem Reipub. statum amant. Omnium enim maximum periculum est ab iis, etiam sæpè privatis, in populari hoc statu, qui vel animi mobilitate, novis imperiis student; vel dominandi libidine incensi, imperium affectant. Facilè namque in partes vulgus trahitur: quod

------ *Tantùm constans in levitate suâ est.*

IIX.

Errare hîc nolim quemquam, verba hæc præcedentia, Aristocratiam mixtam cum Democratiâ sapere; cùm administratio Reipub. cum formâ ejus non sit confundenda. Nam licèt in populari statu Magistratus aliquando non gerant, nisi Viri delecti, & ii quidem pauci; non tamen, propter hanc Reipub. administrandæ rationem, Democratia pura extinguitur, si penes populum suprema sit potestas, ita, ut illorum paucorum gubernatio ab illo prorsus dependeat. Ut nec Monarchia pura interit, licèt Monarcha per suos ministros Majestatem suam regiam exerat. Non enim solus omnia videre, non exequi potest. modò ipsius mandata solius, nihil contra voluntatem ejus molientes, sed promti, summâq; cum subjectione exsequantur, & ab ipso Principe, Princeps autem à Deo unico prorsus dependeat. Aliter est, ubi Rex collegas Imperii tales habet, quorum jurisdictionem tollere vel non potest, vel non debet. cui tum non mixtura appareat? Idem dicendum est, ubi pauci, non populi, sed populus & ipsi, immediatè simul, Dei vices gerunt; mixtura tum Democratiæ cum Aristocratiâ est manifesta.

IX. At

IX.

At nunc Magistratus, qui merè populi potestati subsunt, nec puram tollunt Democratiam, consideremus. Ne sit inter eos Appius Claudius aliquis, qui contra Valerium disputans, hęc protulisse verba apud Halicarnasseum legitur: Si dementem plebem Senatui imperare siverint, perinde fore, ac si animam corpori subjicerent, vitamque affectibus, non ratione, regerent. Quòd si plebem Senatui parêre, & obsequi assuefacerent, sic futuros, ut illi, qui corpus animo subdunt, & in omni vitâ honestatem, non voluptatem, respiciunt. Civitatem enim similem esse uni homini, in quo animus Senatum, corpus Plebem referat. Ne sit & *Marcius Coriolanus*; *hostis*, ut Livius ait, *Tribunitiæ potestatis*, qui talem sententiam (quæ apud eundem Historicum legitur) contra Magistratus plebejos protulit, ut etiam ipsi Senatui, nimis atrox visa sit, & irâ plebem propè armârit. Non modò verò, ne sint Vatiniano odio contra Rempub. popularem, ut hi modò nominati flagrantes, videndum; sed etiam, ut, qui amant valdè hunc statum, Magistratum capiant, procurandum.

lib.5. *lib.2.*

X.

Sit igitur popularis ille Servilius, Titus Quintius, Menenius, Virginius; & quos præterea Publicolas populi Romani scena produxit. Sed & à tali tamen Magistratu ratio rerum gestarum sæpenumerò petenda est. Mutabilis enim est natura hominum, rarenter admodum in melius, in pejus sæpissimè. Adde, simulata esse sæpè omnia, dictu aliquid, re nihil.

Juven. satyr.14.

Fallit enim vitium specie virtutis & umbrâ,
Cùm sit triste habitu, vultuq; & veste severum.

XI. Li-

XI.

Liberas accusationes, si quid aliud, in usu esse hoc in statu, interest maximè Reipub. Livius illud declarat optimè. *In exeuntem*, inquit, *Coriolanum è Curia impetus factus esset, nî peropportunè diem Tribuni dixissent: ibi ira est suppressa, se judicem quisq; se Dominum vitæ necisq; inimici factum videbat.* Quantum verò libera accusandi ratio Reipub. prodest, tantum nocent calumniæ. Quomodo verò differant accusationes à calumniis, quis meliùs, atque in brevitate perspicaciùs tradidit Machiavello? Quare verba ejus audiamus. *lib.2.*

XII.

Differunt, inquit ille, *accusationes à calumniis, quòd calumniari possit unusquisq;, quemcunque & ubicunque volet: neque ad id probandum, quod impingit adversario, probatione ullâ aut testibus utitur. Accusare autem legitimè non potest unusquisq;: quòd in accusationibus opus sit probatione, testibus, cæterarumq; rerum circumstantiis, quibus pateat id, quod accusator impingit. Præterea, non solent institui legitimæ accusationes, nisi coram Magistratibus, aut concione totius populi. Calumniæ nullum certum locum habent: quòd vel in foro, vel hinc inde per plateas, atque tonstrinas de hominibus spargantur: ac plerunque locum habent in Rebuspub. malè institutis, & in quibus non ordinaria quædam accusandi ratio extat. Quo fit, ut qui Rempub. rectè instituere velit, in id præ cæteris incumbere debeat, quò liberum, tutumq; sit, legitimè civem quemcunq; accusare. atque id ubi legibus constitutum fuerit, ferri non debent calumniæ ullo modo, sed puniri severè: quòd cum liceret eum, quem calumniatur, legitimè & sine suspicione accusare: id non faciat calumniator, sed clandestinas calumnias spargat. Quòd si hisce rebus non rectè in Repub.*

Mach. disp. lib.1.c.8.

g

prospectum sit, multa mala patrantur: quoniam locus calumniis datur, quæ cives non castigant, sed commovent, atque perturbant, ita, ut quæ de ipsis sparguntur, non metuant, sed calumniatores odio prosequantur. Tantum Vir ille ignei ingenii.

XIII.

Cavere præterea Democratici debent, ne magna officia familiis antiquis nobilibusq; facilè concedant. Hac enim ratione contemtâ plebe ad se successu temporis imperium trahent, Optimatesq; salutari volent. Quod facilè efficient, cùm & antea, ante alios jam fuerint venerabiliores. Quare sapienter in suâ Repub. Argentinenses instituerunt, quibus der Ammeister (cujus major, quàm des Stättmeisters/ qui ex Nobilibus creatur, est potestas) non nisi ex plebeja familiâ sumitur. Sic *Genuæ non in Ducem eligebatur olim, teste Cominæo, nisi plebejus; & is quidem à Nobilibus nominabatur.* lib.8.c.15.

XIV.

Vehementer etiam statui prodest Democratico, si occasiones præcidantur, paucis nimis contra universos opibus & potentiâ crescendi. Hinc illa apud Roman. lex Licinia, quâ cautum fuit, ne quis civium plus possideret, quàm quingenta jugera. *Auderent' ne postulare,* (Tribuni verba ad Patricios) *ut cùm bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta jugera habere liceret?* Cæterùm, si creverint nimis aliquorum divitiæ, opera danda est, ut per vectigalia, tributa, vel alias occultas, licitas tamen artes, minuantur. Liv.lib.6.

XV.

Acutissimus Machiavellus non vult, ut ulli ex Magistratibus tanta tribuatur potentia, ut consuetas Reipub. actiones sistere, aut impedire possit. Observari oporteat, inquit, *quòd in Repub. maximè cavendum est, ne pauci quidam, qui rerum potiuntur, consuetas, necessariasq; Reipub. actiones aut sistere, aut tollere queant: itaque si qui præficiuntur distribuendis honoribus, aut conferendis officiis, aut ad aliam aliquam rem expediendam: simul etiam illis necessitas quædam exequendi officii est imponenda, aut remedium quoddam constituendum, quo, si negligentes fuerint, cogi possent. Id enim nisi fiat, nequaquam bene constituta esse potest ejus administratio.*

XVI.

Cæterùm imitandus est Populus Roman. qui *de bello, de pace, de fœderibus, deq; Repub. universâ statuebat, leges ferebat, legibus quos vellet exolvebat, præmia publica decernebat, æris, & capitis pœnam delictis infligebat. Ac ne plebis libertas vexari, aut minui à Senatu, vel Patriciis unquam posset, sibi è suo corpore, peculiarem instituit plebs Magistratum, Tribunum plebis dictum, ac sacrosanctum esse jussit. Hiq;, creato Dictatore more Magistratuum aliorum, potestatem non deponebant. Vis eorum potissimùm in intercessionibus consistebat. Si qua Lex, si quod Senatusconsultum scriberetur, aut quicquam aliud fieret, quod parùm è Repub. esset, vetabant, prohibebant, &c.* Hæc D. Christoph. Besoldus. plura verò de Tribunorum sublimi hac potestate ad Alexandrum ab Alexandro noscendi cupidum Lectorem remittit. D. Christophor. Besold. Disc. Pol. de Democrat. Generat. cap.2.n.5.

XVII.

Imprimis autem iis, qui Magistratum gerunt, cavendum est, ne plebs penuriâ laboret, néve cogatur à divitibus opem petere, iisdemq; se submittere.

XIIX.

Super omnia verò in hoc populari tam turbido statu cavendum est, ne confusio in eo actionum, & pro-

miscua officiorum, (quod facilimè in hoc, ut dixi, tam turbido statu fieri potest) personarumq; indifferens sit operatio. Hoc si fiat: aut in paucorum, vel etiam unius dominatum mutatio, aut omnino interitus Reipub. totalis subsequatur necesse est. D. Paulus hanc confusionem valdè noxiam Reipub. paucis describit, & eam esse unum corpus civile dicit, quòd in eâ sint multa membra, diversa officia habentia: Et si non essent membra, non esset corpus. *Nam*, inquit, *& corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quia non sum manus, non sum ex corpore: num propterea non est ex corpore? Et si dicat auris, quia non sum oculus, non sum ex corpore: num propterea non est ex corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem Deus constituit membra singula sigillatim in corpore, sicut voluit. Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Non potest autem oculus dicere manui, te mihi non opus est: aut rursum caput pedibus, non est mihi vobis opus. Imò multò potiùs, quæ videntur membra corporis infirmissima esse, necessaria sunt.* Et quæ præterea Apostolus. Apologo quoque corporis humani usus Menenius Agrippa pro revocandâ plebe à secessione factâ contra Patricios, & Senatum: docuitq; plebem, quòd si nulla corporis pars ampliùs faciat suum proprium officium, & contra ventrem conjuret, non fieri posse ullo modo, ut corpus diutiùs duret, ac non intra paucos dies fame, pessimo mortis genere, consumatur.

1. Cor. 12. 14. & seqq.

Luc. Flor. 1. de gest. Rom. 23. Liv. l. 2.

XIX.

Idem omnino de civitate sentiendum est; quæ stante ordine, stat, intereunte interit. Populo interim evenit, quod fabulosè narrat Plutarchus, cuidam serpenti conti-

contigisse, cujus aliquando caudam ferunt, adversùs caput seditione factâ, petiisse, ut sibi vicissim quandoque ducem reliqui corporis esse liceret, nec semper caput ducem sequi teneretur. Acceptâ autem ducendi potestate, factum est, ut & ipsa sinè intuitu sese movens, graviter offenderet, & caput insuper, quòd cœcum surdumq; ducem præter naturæ institutum sequeretur, in eandem secum perniciem traheret.

Cap. V.

In quo Arcana, quorum ope status Democraticus, contra Regnum, se tueri possit.

Sect. I.

Tandem cum bono Deo ad arcana Democratica contra unius Imperium devenimus. Hæc in non paucis cum arcanis Aristocraticis contra Regnum conveniunt. Repetantur ea ex capite tertio, quæ hîc ritè adaptari poterunt; ut & hîc quædam erunt, quæ illic non indecorum locum habebunt. Imò & arcana quædam quoque, contra Optimates ex antecedente capite huc, & ex hoc nonnulla illuc transferri optimè posse, videbit judiciosus.

II.

Aegerrimè certè se sustinere popularis Respub. contra Regnum potest. *Salus* namque *ejus desperata est*, ut ait Tacitus, *cujus aures ita formatæ sunt, ut aspera, quæ utilia, & nihil nisi jucundum, & non læsurum accipiant.* Rarò certè plebs probat probanda; rarò culpat improbanda: proba sæpè aspernatur; laudat improba sæpissimè. Quare *cùm sententiam aliquando in concione*

Plut. apophthegm. *diceret Phocion, quæ probabatur, omnesq; Athenienses ex æquo videret orationi suæ assentientes: conversus ad amicos; Numquid imprudens*, inquit, *maledixi?* *Senec. epist. 29. ad Lucil.* Epicurus verò dicere solebat, se nunquam voluisse placere populo: *Nam quæ ego scio*, inquit, *non probat populus; quæ probat populus, ego nescio.* Natura prętcrea hęc est vulgi, non contentũ esse præsenti statu, optimo licèt. Qui in libertate populari vivunt, Aristos exoptant, mox regnum quærunt: qui in regno, nil in voce, nil in votis, præter libertatem habent. Multi nullo contenti sunt imperio; nullis legibus, nullis institutis gubernari volunt; vix dum hodie unum statum Patriæ experti sunt, cras alium affectant, quem postridie identidem evertant.

III.

Tandem itaque unus ad arbitrium suum stabilit imperium tot turbis agitatum. Quod facilè evenit. Etenim illi, qui Tyrannidem invadere cogitant, adulatores, ut quodam in loco Plato ait, maximè asciscunt: sceleratis se socios adjungunt; famuli, & servi, imò mancipia evadunt eorum, quos sibi ad id faventes, & ad sua jussa exequenda audaces vident: deniq; conscìis omnia indulgent, quantumvis prava, & iniqua, ut imperio tandem potiantur.

IV.

Vulgi mobile ingenium hanc quoque naturam habere nôrunt, ut libertatis & honoris potiùs nomine, & jure concesso gaudeat, quàm usu ipso. Itaque quos honores ipsa plebs gerere posset, facilè alii suo etiam *Liv. lib. 4.* suffragio defert. Cùm obtinuisset plebs, ut Tribuni militum consulari potestate promiscuè ex Patribus ac Plebe crearentur: *Tribunos omnes Patricios creavit Populus Romanus, contentus eo, quòd ratio habita plebejorum*

rum esset. Cùm iterum obtinuisset Plebs, ut *quatuor Quæstores promiscuè de Plebe ac Patribus libero suffragio Populi fierent*: creati omnes, *quorum Patres avosq; Consules* viderat populus. Imò sæpè libertatem, & honores prorsus aspernatur, propter aliquod aliud bonum emergens, quod melius esse stultè opinatur. Judæos *Exod. 16, 4.* intueamur: hos non potuit non pœnitere recuperatæ *Num. 11, 5.* libertatis; cùm tamen antea acerbissimâ servitute premerentur; & quidem propter

----- *Cicutis allium nocentius.* *Horat. Epod. 3.*

Quæ tamen possent esse arcana popularis contra invasorem stabiliendæ libertatis, nunc videamus.

V.

Duplex tantùm via est ad obviam eundum proposito ejus, qui solus rerum potiri per ambitionem voluerit, jamq; progressus aliquos in occupandâ Patriâ fecerit. Aut maximis beneficiis devinciatur, aut statim in ipsâ civitate opprimatur, necesse est.

VI.

Arcanum hoc est Herennii Pontii Samnitum Imperatoris, qui consultus à filio, quid de Romanis, in fur- *Liv. lib. 9.* cis Caudinis conclusis, facto opus esset? *censuit, omnes inde quamprimùm inviolatos dimittendos. Quæ ubi spreta sententia est, censuit ad unum omnes interficiendos.* Accitus postea in castra, causas addidit: *Priore se consilio, quod optimum duceret, cum potentissimo Populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamq;: Altero consilio in multas ætates, quibus amissis duobus exercitibus, haud facile receptura vires Romana res esset, bellum differre: Tertium nullum consilium esse. Cùm filius, aliiq; Principes percontando exquirerent, quid si mediâ viâ consilium caperetur, ut & dimitterentur incolumes, & leges iis jure*

jure belli victis imponerentur? Ista quidem sententia, inquit, ea est, quæ neq; amicos parat, neq; inimicos tollit. Servate modò, quos ignominiâ irritaveritis: Ea est Romana gens, quæ victa quiescere nescia: Vivet semper in pectoribus illorum, quicquid præsens necessitas inusserit, neq; eos ante multiplices pœnas expetitas, à vobis quiescere sinet.

VII.

Ille Titi Vespasiani modus invasores juris alieni beneficiis devinciendi non displicet. Is *duos Patricii generis convictos in affectatione Imperii, nihil ampliùs, quàm ut desisterent, monuit; dicens, Principatum fato dari: si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum: & confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium salvum nuntiarent. Cæterùm, ipsos non solùm familiari cœna adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industriâ collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam cognitâ utriusq; genitura, imminere ambobus periculum affirmâsse, venturum quandoq; & ab alio: sicut evenit.* Fratrem *insidiari sibi non desinentem, sed penè ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neq; seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit: sed ut à primo Imperii die, consortem successoremq; testari perseveravit: nonnunquam secretò lacrymis & precibus orans, ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.* Bruti tamen illud magis placet, nam tutius videtur; qui, teste Livio, *omnium primùm, avidum novæ libertatis populum, ne postmodùm flecti precibus aut donis regiis posset, jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare, adeoq; bona regia diripienda plebi dedit, ut contactâ regiâ prædâ, spem in perpetuum cum his pacis amitteret.* Bonus sanè modus, plebem inconstantem

Sueton. in Tit. — *lib.2.*

tem aliàs, & polypo mutabiliorem, sedatiorem reddendi: non tamen tam firmus, ut eam solâ hac ratione constantem omnino, immobilemque reddas. Ad alia itaque descendamus consilia;

Quæ, si non prosint singula, multa juvent.

IIX.

Juvabit profectò non parùm vel hoc unicum, si Melius aliquis, aut Manlius non adibunt Magistratum. De hoc Livius: *Vir, nisi in civitate liberâ natus esset, memorabilis.* At in hac memoriâ ejus, & ipse damnandus. Violentiora enim hæc arcana in Populo magis, quàm Aristis probem: tum quòd vis Populi fortior sit; tum quòd plebs his ferocior facta, minùs blandimentis decipiatur. Salubriter igitur apud Romanos, postquam Manlius regnum affectâsset, damnatumque Tribuni de saxo Tarpejo dejecissent, *gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur.* Hac ratione certè & regnum plebi invisum reddi, & regni memoria perpetuâ quodammodo oblivione sepeliri potest.

lib.6. — *Ibid.*

IX.

Sed hæc contra talem, qui timetur: promenda verò etiam sunt arcana, quæ prohibeant, ne sit, qui timeatur. Vix erit ullus omninò, si sequentia observentur. Ac primò quidem omnium diligenter cavendum, ne cives externa nimis admirentur. Quod nullâ meliori ratione fieri poterit, quàm si Magistratus annitatur, ut cives de hoc, tanquam optimo statu persuadeantur. Quod si fit; non cupiditate ducti, ad exemplum populi Israëlis, Regem expetent. Aulas interim fugiant; nec Principes, Regesq; exteros nimis humiliter colant; aut eosdem fidenter hospitio frequentes excipiant. *Pyrrhus Rex, quum Athenas venisset, & ingressus arcem Palladis*

1.Sam.8,5. — *Eras.lib.4. apophth.ex Plutarch.*

rem divinam fecisset, eodem die descendens ex arce, collaudavit quidem Atheniensium erga se fiduciam: cæterùm admonuit, si saperent, ne posthàc cuiquam Regum portas aperirent. Significans; omnibus Regibus naturâ invisam populi libertatem. Persuadendum est, inculcandumq; populo; **Daß sie alle tag Fürsten seind/ auff den Sonntag was mehr.** Quod joco narrari solet, liberos, animososque Helvetas (quos honoris causâ nomino) in ore habere. Sicq; & Romani haud in magno Reges precio habuerunt. M. Cato Eumenem noluit audire, & civem in liberâ Repub. magno etiam Rege præstantiorem esse dixit. Tali ingenio qui præditus est populus, nec mutârit illud; tenaciùs adhæret libertati, & quidvis potiùs cum vitâ, quàm illam, amittit.

X.

Nulli hîc velim nimiam in Magistratu potestatem dari; aut si detur, longa ne sit. Hac populi indulgentiâ, Cæsar ad invadendum imperium est abusus. Livius rectè quodam in loco monet, *Libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas, & temporis modus imponatur, quibus juris non potest.*

XI.

Liv. lib. 9. Hinc P. Sempronius Tribunus plebis, qui finiendæ censuræ intra legitimum tempus actionem susceperat, cùm legem Aemiliam recitaret, autoremque ejus Mamercum Aemilium Dictatorem laudibus ferret; qui quinquennalem antè censuram, & longinquitate potestatem dominantem, intra sex mensium & anni exegisset spatium; gravissimâ oratione in Appium Claudium invehitur; ubi inter cętera hæc verba protulisse legitur: *Triennium, inquit,* (de Appio Claudio loquitur) *& sex menses ultrà, quàm licet Aemiliâ lege, censuram geram, & solus geram. Hoc quidem jam regno simile est.* Memorabile nobis exemplum, & nostro huic tempori, moribusq; mirabile Rutilius Censorinus dabit. Hic *Censor iterum creatus, ad concionem Populum vocatum,* quàm potuit plenis gravitate verbis, *corripuit, quòd eam potestatem bis sibi detulisset, cujus Majores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum judicâssent.* Val. Max. lib. 4. c. 1.

XII.

Multò minùs perpetuum hîc ullum Magistratum, ut antè, probem. Nam licèt eadem pro illo possent hîc adduci, quæ sunt suprà memorata; tamen quia majora hîc obstant, quæ ibi vix ullum locum habere videntur; ne in unius manibus Magistratus perpetuò, ut nec diù resideat, monendi haud inutilis causa est. Si quid verissimum est, illud certè est; eo ingenio esse homines, ut postquàm multum temporis in potestate aliquâ transegerint, patriis moribus haudquaquam sibi vivendum ducant; sed, pręsertim in statu hoc Democratico, omnes modos decipiendi Plebem quærant, ut ei, tanquam indignæ cui subsint, totaliter imperitent. Et nullibi, quàm in hoc populari statu ad Tyrannidem se quisque, ut antea audivimus, obfirmare potest.

XIII.

Accedit & illud; eos, qui semel in hoc populari statu imperandi dulcedinem degustârunt, sublimiorique statui diù imperando assuefacti sunt, privatam vitam, ut plebejam & sordidam, cane pejùs & angue odisse. Quare nonnunquam fit, ut per fas & nefas stabiliant potentiam suam, toti etiam Imperio sæpè formidandam.

XIV.

Quia denique Democratia omnibus æqualem pro-

ponit libertatem, absque discrimine omnes ad quoscunque Magistratus admitti debent. Quod nullâ aliâ ratione, nisi per vicissitudinem imperandi, fieri potest. Ad quam, perpetuam imperandi potestatem, viam præcludere, vel cœco evidentissimum est. Horatius, Valeriusque Coss. ut eversam libertatem à Decemviris

Liv. lib. 3. Populo ob oculos ponerent; eos, inquiunt, *nihil juris in civitate reliquisse, Comitia, & annuos Magistratus, & vicissitudinē imperandi, quod unum exæquandæ sit libertatis, sustulisse, privatos fasces, & regium imperium habere.* Ut igitur omnium votis, quantum fieri potest, satisfiat, imperia, neque diuturna, neque perpetua, placere possunt.

XV.

Suspectus imprimis, in hoc præsertim statu, meritò esse debet, nimis in plebem munificus. De Melio tra-

Liv. 4. dit Livius: Is *ex equestri ordine, ut illis temporibus prædives, rem utilem, pessimo exemplo, pejore cōsilio est aggressus: frumento namque ex Hetruriâ, privatâ pecuniâ, per hospitum clientiumq; ministeria coëmto, (quæ credo ipsa res ad levandam publicâ curâ annonam impedimento fuerat) largitiones frumenti facere instituit. Plebemq; hoc munere delinitam, quacunque incederet, conspectus, elatusq; supra modum hominis privati, secum trahere, haud dubium Consulatum ei favore ac spe despondentem. Ipse, ut est humanus animus insatiabilis eo, quod fortuna spondet, ad altiora, & non concessa tendere: & quoniam Consulatus quoque eripiendus invitis Patribus esset, de regno agitare.* Aliquid huc facit laudatissima illa Reipub. Achæorum Lex, *digna, quæ omnibus liberarum Civitatum rectoribus sit quàm-maximè commendata; quâ vetitum, Ne quis omninò, sive privatæ conditionis, seu Magistratum gerens,* ullam

ullam ob causam, quæcunque etiam sit, dona à Rege aliquo caperet. Quam legem recitare Polybium, Eclogâ Legationum XLI. Ubbo Emmius Frisius dicit: Narrare eum præterea, *venisse ad conventum Achæorum, Megapolim, trium Regum Legatos, Prætore tùm Aristæno, Ptolemæi ex Aegypto, Seleuci ex Syriâ, Eumenis ex Asiâ, captantes Achæorum gratiam: Et Aegytios quidem dona attulisse Reipub. Achæorum, arma ænea, quantum satis erat ad instruendos Peltastas, sexies mille; cum talentis signatæ ex ære pecuniæ ducentis: Syrios promisisse eidem Reip. decem naves longas: Asianos obtulisse, Eumenis nominē, talenta CXX. in fœnore collocanda, in eum finem, ut ex fœnore illo impendia eorum solverentur, qui ad Concilia itarent: Tum verò, inquit Polybius, Apollonius Sicyonius assurgens sic disseruit: Pecuniam ab Eumene oblatam, magnitudine sui, dignam sanè esse, quæ donetur Achæis; sed si animum & scopum donantis consideres, rem tum turpissimā, tum iniquissimam. Atq; his congrua alia plura subtexuit, ostendens, si accepta fuerit pecunia regia, oportere accipientes, velut escâ devoratâ captos, aut mercede autoratos, necessariò è duobus alterum committere: nimirum, aut Regis commoda, quæ naturâ pugnant cum commodis liberarum Civitatum, bono Patriæ postponere; aut, si faciant secùs, in crimen ingratitudinis se conjicere, opponentes se desideriis ejus, cujus erunt mercenarii. Deniq;, ea vis orationis istius fuit, ut plurimi Eumenem odio potiùs, quàm favore dignum esse, ob hoc consilium ejus, judicarent. Et quammvis publicè amicitia ejus rejecta non sit; largitio tamen, tanquam Reipub. perniciosa, magno consensu est repudiata. Idem de Seleuco statutum: Amicitia admissa; Naves recusatæ. De Ptolemæo nihil expressum in iis, quæ de fragmentis Polybii habemus reliqua. Et erat omninò* (Ubbonis retineo verba)

in Descript. Republica Achaor.

alia istius Regis ratio; de cujus animo benevolo & sincero Achæis constabat. Lege autem hac de donis(ut idem Ubbo salubriter censet) *nihil salubrius. Nam dona* (inquit) *hujusmodi, semel admissa, devinciunt animos admittentium; etiam eorum, qui cæteroqui viri haud mali sunt: ut plusculùm inclinent in favorem donantium; quàm sincera ratio & rectitudo bonorum consiliorum ferunt: denique excæcant mentes, ut rectum videre; animosque inficiunt, ut sanitatem atque integritatem retinere, non facilè queant. Et hoc est illud, quod Isocrates dicere consuevit; Qui beneficium accipit, libertatem vendit.*

XVI.

Cavendus, nec minori curâ, quàm in plebem, in Milites nimis liberalis. Hac enim arte plurimùm adjutus ad Imperium pervenisse videtur paulò antè nominatus Cæsar. De hoc ita Suetonius: *Nullum largitionis aut officiorum genus in quenquam publicè privatimque omisit.* (in Jul.) Quare etiam Plutarchus apertè, debuisse eum, scribit, priusquàm ullum Magistratum caperet, (nota, de valdè igitur juvene) *mille trecenta talenta.* Ea sunt nobis, ut computat Lipsius, *septingenta octoginta millia Philippicûm.* (Admirand. lib.2.cap.12.) Quid verò jam in ipsis Magistratibus? Quærit porrò Lipsius. *Materies,* inquit, *& causa fuit amplior largiendi.* Itaque Appium scribere testatur: *Eundem* (Cęsarem) *ex præturâ in Hispaniâ, creditoribus retinentibus dixisse joco; Millies sibi opus esse, ut nihil haberet: i.e. Ut solùm æs alienum solveret, in suo nihil haberet.* Ea reddunt, *vicies quinquies centena millia.* Nihil miri tantum debuisse; majora multò pòst debita contraxisse, largitiones ejus cui non persuadebunt? Mitto in plebem, in populum, in privatos, ingentia dona: in milites quædam attingam.

XVII. *Mi-*

XVII.

Militibus, ait Suetonius, *singula interdum mancipia, vel prædia viritim dedit.* (in Jul.) Quibus & ipse se dedit unicè, atque id-ipsum privatus adhuc; qua fini? paulò superiùs dictum est. Certè adhuc in Galliâ, cùm Pompejus duas legiones colore belli Parthici revocaret, ipse, ut animos sibi pigneraret, singulis abeuntibus ducentas quinquaginta drachmas divisit; (hoc Plutarchus aliique prodiderunt) i.e. secundùm Lipsium, *viginti quinque Philippicos nostros.* Rursum, alio quodam tempore (triginta ampliùs fuêre millia militum) singulis *quingentos Philippicos* dedit: faciunt supra XV. nostros *milliones.* Ubi nunc Centuriones, Tribuni, Præfecti? *Regum opes expensas dices in donatione hac unâ.* (Lipsius in Admirandis.) Sed tacebo: Non enim mihi admiranda est animus describere: In iis videatur Lipsius; Miras & verè incredibiles, ut aliorum Principum, sic Julii Cæsaris, nondum, ut ille loquitur, Cæsaris, expensas notabis. (lib.2.c.12.)

XIIX.

Hæc talia sunt prohibenda: sed id occultis artibus agendum; ne in odium militum, quibus dona maximè placent, incurrant prohibitores. Interim Militi sua stipendia nō differenda, ne penuriâ rerum adactus, opem petere ab Imp. cogatur: aut ne Imperator eò commodiorem devinciendi militis occasionem rapiat, ejus ope procul dubio debitorem populum oppressurus.

XIX.

Verùm enimverò ad minuendum magis tale periculum, placet non divitem Imp. eligi:

Pauper erat Curius, Reges cùm vinceret armis:
Pauper Fabritius, Pyrrhi cùm sperneret aurum.

Eundemque velim non tam ad breve haberi, quàm in cer-

certum tempus. Ne cum Scipione illo expectatione successoris ad paratam suo labore ac periculo finiti belli gloriam sollicitatus, omittat necessaria, vel committat indecora, imò aliquando periculosa simul & noxia.

XX.

Adde, quòd incertitudo hæc temporis stimulum ei ad Heroica facinora addet, quorum respectu sperabit diutiùs tenere militaris Imperii clavum. Secùs est, ubi lex tempus assignat. Non enim facilè Populo, si sapit, contra leges est dispensandum. Facili enim negotio assuefiet plebs, jam per se mutabilis, sæpissimè leges refigere. Unde eæ, ut in omni aliàs Imperio, in populari tamen maximè, in magnum veniunt contemtum. Hic vel solus sufficit ad mutandam Rempub. ne dicam ad totalem ejus interitum.

XXI.

Quod dictum est de Magistratu, ut & Imperio Militari, idem sentiendum est de unâ aliquâ familiâ. Providendum est, ne ea nimis opibus & potentiâ contra universos crescat. Et id agere videri volebant Petilii, cùm tribunitiis actionibus vexarēt Africanum, & Asia-
Liv.lib.38. ticum Scipiones. Nobilitatem, & regnum in Senatu Scipionum accusabant. Quibus contra Africanum assentientes alii, neminem unum civem tantùm dicebant eminere debere, ut legibus interrogari non possit. Nihil tam æquandæ libertatis esse, quàm potentissimum quemque posse dicere causam. Quid autem tutò cuiquam, ne dum summam Reipub. permitti, si ratio non sit reddenda? Qui jus æquum pati non possit, in eum vim haud injustam esse. Quorum furori cedens Africa-
Idem lib.39. nus, solum vertit, & in Liternum concessit, ac voluntarium

rium, non sibi-met ipse solùm, sed etiam funeri suo exilium indixit. Asiaticus frater, eâdem perculsus clade, nî intercessorem Gracchum inimicum habuisset, in robore, & tenebris carceris expirâsset. In bona tamē ejus *Id.lib.38.*
possessum publicè Quæstores Prætor misit: & quæ necessaria ad cultum erant, redemta ei à proximis cognatis sunt.

XXII.

Quod non potest, (ait Seneca) *vult posse, qui nimium* *Hippol. act.1.*
potest. Et vulgò dici solet; Fortuna efficit cœcos, quos complexa est. Pittacus Mitylenæus, cùm Periandrum Corinthium, qui antea popularis erat, in Tyrannum degenerâsse videret, post decennale imperium ad vitam privatam rediit; dicens: Difficile esse probum manere, cùm Periander mutatus esset. *Fabius* certè vel propter illud, quod commemorabo, memorabilis, atq;
Maximus, cùm à se quinquies, & à Patre, Avo, Proavo, *Val.Max. lib.4.c.1.*
Majoribus suis sæpenumerò Consulatum gestum animadverteret: Comitiis, quibus filius ejus summo cōsensu Consul creabatur, quàm potuit constanter cum Populo egit, ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiæ genti daret. Non quòd filii virtutibus diffideret, (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in unâ familiâ continuaretur. Ita per potentiam familiæ suæ Medicei, teste Cominæo, Florentinum Ducatum adquisiverunt.

XXIII.

Juventutis quoque peregrinationem paucis hîc attingere non inutile duco. Illam nolim omnino in regna fieri: in populares Respub. frequentissimam. Quare ab aulis (quod jam paulò antè innui) Regum atque Principum prorsus arcendi juvenes. Tanto enim splendori assuefactis populare imperium vile videbitur; atque

ita in contemtu status Patriæ facilè adolescent. Hujus verò ingenii cives habere, quàm periculosum sit Reipub. superiùs audivimus.

XXIV.

Nullatenus concionum licentiam præterire volo. Hæc omnino refrenanda est. Vis namque loquentiæ nimis est Rebuspub. periculosa. Unum & alterum hujus rei exemplum è multis dabo; & quidem de Pisistrato, & Pericle Valerii Maximi verbis. *Pisistratus dicendo* Lib. 8. c. 10. *tantum valuisse traditur*, ait ille, *ut ei Athenienses regium Imperium oratione capti permitterent: cùm præsertim ex contrariâ parte amantissimus Patriæ Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores: quo evenit, ut alioqui prudentissima civitas libertati servitutem præferret. Pericles autem felicissimis naturæ incrementis, sub Anaxagorâ præceptore summo studio perpolitus & instructus, liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis imposuit: egit enim ille urbem, & versavit arbitrio suo. Cumq; adversùs voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominus & popularis ejus vox erat. Itaque veteris comœdiæ maledica lingua, quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris ejus hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare: inq; animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat. Fertur, quidam, cùm admodum senex primæ concioni Periclis adolescentuli interesset, idemq; juvenis Pisistratum jam decrepitum concionantem audisset; non temperâsse sibi, quò minùs exclamaret: Caveri illum civem oportere, quòd Pisistrati orationi simillima ejus esset oratio! Nec hominem aut æstimatio eloquii, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum, & Periclem interfuit? nisi quòd ille armatus, hic sine armis Tyrannidem gessit?*

gessit? Sed unicum adhuc de vi eloquentiæ exemplum addere liceat. Hegesian Cyrenaicum quantâ valuisse Idem ibid. arbitramur? qui *sic mala vitæ repræsentabat; ut eorum miserandâ imagine audientium pectoribus insertâ multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret. Ideoq; à Rege Ptolemæo ulteriùs hac de re disserere prohibitus est.* Præclarus itaq; mos fuit ille Romanorum, qui, ut ex Cicerone pro Flacco notat D. Besoldus, *nullam vim concionis esse voluerunt. Quæ scisceret Plebs, aut quæ Populus juberet; summotâ concione, distributis partibus, tributim, & centuriatim descriptis ordinibus, auditis autoribus, re multos dies prorogatâ, & cognitâ, juberi vetariq; voluerunt.*

XXV.

Si quid verò est, quod cavere in Populo maximè interfit; seditiones profectò sunt bellaque civilia. Hæc componi in Repub. plurium vix possunt, nisi imperio ad unum devoluto. Quod Tacitus de Augusto re- Lib. 1. Annal. fert; eum *Rempub. discordiis civilibus fessam nomine Principis sub imperium accepisse*. Optimatum quoque statum, imò regnum mutat, nulli tamen magìs, quàm plebi timenda.

XXVI.

Cicero, ut solet, eleganter; *Omnia sunt*, inquit, *in bel-* 4. ad Famil. Epist. 9. *lis civilibus misera, sed nihil miserius, quàm ipsa victoria.* Verè misera omnia! Quid enim tum scelerum abest? Quæ non impietas adest? Quæ non cædes fiunt? Fides tum ubi? Amor inter cives ubi? Ubi obedientia? Omnia sic omnino quis tum non cernit

In pejus ruere, & retro sublapsa referri? Verg. 1. Georg.

Jam ipsam victoriam videamus. Hæc miserrima est: *quæ*, ut idem Cicero optimè dicit, *etiamsi ad meliores*

4.ad Famil. Epist.9. *venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresq́; reddit: ut etsi naturâ tales non sint, necessitate esse cogantur.* Et iterum idem, (sufficiat ille, quis enim melius?) *Bellorum,* inquit, *civilium hi semper exitus, ut non solùm ea fiant, quæ velit victor, verùm etiam, ut illis mos gerendus sit, quibus adjutoribus parta est victoria.*

Idem 12.ad Famil.Epist.18.

XXVII.

Huic tam detestandæ pesti in tempore medendum est: omne enim malum nascens facilè opprimitur, admodum difficulter inveteratum:

Pers.Sat.3. *Helleborum frustra, cùm jam cutis ægra tumebit,*
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.

Omnes itaque seditiones, quàm minimæ etiam illæ videantur, occasiones imò earum præcidendæ. *Incipiens* enim, Taciti monito, *& nondum adulta seditio, melioribus consiliis flectetur.* Et hæc pauca sunt, quæ de Arcanis tam Aristocraticis, quàm Democraticis duxi perscribenda, ad aperiendam portam, ingeniosis Patriæ amatoribus, plura, & Rebuspub. salubriora, porrò conquirendi.

1.Histor.

Pag.31.lin.15.legatur; *impudentius?*

SOLI DEO GLORIA.

ILLUSTRI & GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. ANDREÆ, COMITI de LESNO, PALATINI DÆ BELZENSI, &c.
de Arcanis tàm Aristocraticis, quàm Democraticis, publicè disputanti,
Gratulabundi acclamant Cultores ac Clientes.

I.

Magnos magna decent. Hinc tu, Comes inclyte, magnis
Rebus & ipse studes; nec nisi magna sapis.
Est equidem magnum, rerum secreta tenere,
Quæ quibus ex causis prosiliant propria:
Ast, quì communi prosint hæc ipsa saluti,
Dicere cordatè, majus id artis opus.
Talia nunc igitur quia nobis publica pandis;
Das specimenq́; tui, nec nisi magnus eris.

Honoris & observantissimi affectus testimonium P.

JOAN. RODOLPHUS BURCKHARDUS, U.J.D. Philosophiæ Practicæ in Academia Basiliensi Professor, & p.t. Rector.

II.

N*il juvat ornari Majorum ſtemmate, ſi non*
Fortes naſcantur fortibus atque boni.
Nil juvat & cenſus ſeu clarum nomen Avorum,
Sed Pietas magnos ingeniumq́ facit.
Sunt τέκνα Ἡρώων *non rarò* πήματα, *ſæpe*
Virtute à Patriâ degenerare ſolent.
Ergo quis illuſtri Proavorum ſtemmate dignum
Te neget, aut C O M I T U M *Te decus eſſe neget?*
Rarus honos, verùm ſine P R Æ S I D E *poſſe tueri,*
P R Æ S I D I S *hæc ſummi ſunt bona dona* D E I.
Hæc Tibi qui tribuit, conſervet & augeat, uſq́
Te jubeat firmâ proſperitate frui!
Prudens Te Pietas, pia Te Prudentia ſtipet,
Ut multis poſſis gratus & eſſe D E O!

In teſtificationem devoti affectus ſcripſit

JOHANNES WOLLEBIUS,
SS.Th.D. & Profeſſor.

III.

N*U N C arcana patent; queîs poſſit publica rerum*
Quies virere frondibus.
Hæc pandis, C O M E S *alme, tuis conatibus, ut ſint*
Rectè obvia huicce ſæculo.
Eſt igitur quantus, Tibi, magnus debitor Orbis:
Illi quod iſta nunties!

Debitæ obſervantiæ ergò P.

JOAN. JACOBUS FESCHIUS JC.
in Acad. Baſilienſi Codic. Profeſſor
& Reipub. Syndicus.

IV.

S*U N T vires rerum naturâ, ſunt & ab arte:*
Nec minor eſt virtus condita ſtare diù.
Publica res etiam non iiſdem ſtâtve cadítve
Viribus ipſa ſuis, artibus atque ſuis.
Quales dum nobis jam-nunc, C O M E S *inclyte, pandis,*
Abſtruſa multos quæ latuêre diù:
Excelſò ingenio multùm Tu congrua præſtas;
Quidq́ olim poſſis, nunc ſatis arte probas.

Studioſæ obſervantiæ ergò P.

JACOBUS BURCKHARDUS, Jur.U.D.
Facult. Philoſoph. Decanus.

V.

M*AGNE* C O M E S, *magnæ ſtirpis divina propago,*
Cur de cathedrâ præliari nunc placet?
Cernis, ut externo jactata Boruſſia Marte,
Singultientem ſpiritum ægra vix trahat.
Illûc deberent converti in prælia vires:
Illîc domandus hoſtis eſſet impetus.
Verùm, ſi juſto hæc expendo examine; nil hîc
Facis, quod atro ſit notandum calculo.
Conſiliis etenim hîc informas pectus abundè,
Ornes domi queîs arma; deîn pacis togam.
Ars etenim, ſeu pace ſonent, ſeu tempora bello,
De ſtirpe magnâ ornare natos aſſolet.
Illuſtris quod magna tui quoque fama P A R E N T I S
Orbis patentis edocet ſat incolas.

Obſervantiſſimi affectûs ergò,

M. LUDOVICUS LUCIUS,
Organi Logici Profeſſor P.P.

VI.

TENTARUNT multi Populorum arcana referre,
Quâ foret illorum lege tuenda salus.
Tentârunt equidem; sed Te, COMES inclyte, Nemo,
Vel graviùs potuit; vel potuit meliùs.
Causa subest; quòd cuncti humili sint stirpe profecti;
Antiqui sed Te progenuêre Dii.
Scilicet hoc fuerat; toto ut caneretur in Orbe,
Te magno natum plus potuisse loco.

Humillimæ devotionis ergò
P.
JOHANNES SCRETA Schotnovius à Zavorzitz
Pragâ-Boh. M. D.

VII.

Perillustris & Generosissimus Dominus,
Dominus
ANDREAS LESCINIUS COMES de LESNO,
PALATINIDES BELSENSIS,
ἀναγραμματισθείς.
NOBILIS ENSIS, PALANTES DELENS; SCÆVOLAM
DICENS REDISSE.

ANDREA, nomen cui mens animusq́ virilis,
Et nullo virtus victa labore dedit:
Ecquid ad antiquam laudem, titulosq́ parentum,
Hoc sentis stimulum nominis esse Tibi?
Scilicet ingenuæ dum Ver viget indolis, omni
Ut noscas studio fortia facta Virûm:
Quôq́ modo laudem sibi quisque decusq́ parârit,
Virtutisq́ tenax presserit usque viam:

Nec

Nec mentem linguâ, nec linguam abludere factis
Passus, reddiderit consona cuncta sibi.
Hæc nunc fac noscas, hæc imâ mente reponas,
Hic nunc Te teneat nocte dieq́ labor.
Ast humeri cùm jam fuerint majora ferendo,
Ad magè Teq́ ætas grande vocârit opus:
Horrida Gradivi seu quis Te viderit arma
Tractantem, lituos militiamq́ sequi:
Dicat: PALANTES DELENS quàm NOBILIS ENSIS
Turcigenas, notos & feritate Scythas!
Seu quis consilio videat pollere salubri,
Et Patriæ forti jura tenere manu:
SCAEVOLAM in hunc, DICENS, orbem mirare
REDISSE;
Te monstret cunctis mente manuq́ bonum.

ALIUD.

QVAERATUR veræ si Nobilitatis origo
Altiùs, & primo Tibi si repetatur ab ovo,
Invenietur ei Virtus Genitrixq́ fuisse,
Et Nutrix eadem Virtus, animiq́ virilis
Invictæq́ manus robur, quod nulla subire
Pro Patriâ renuit, pro libertate pericla,
Nec duro quamvis à calle recessit Honesti,
Nec propriam timuit cum sanguine fundere vitam,
Quò sibi vel templum post fata pateret Honoris.
Talis erat quondam Porsennæ castra subintrans
Mutius, à caso quærens sibi Rege trophæum,
Sic durum Patriæ pulsurus mœnibus hostem,
Juvisset fortem si fors & dextera mentem;
Quam mox errantem medios iratus in ignes
Injecit, mirum dictu; Regiq́ paratam

k

Vindictam de se sumpsit, mutilusque reverti
Ad patrios voluit muros, & Scævola *dictus,*
Nominis id sero transmittit habere nepoti.
Talis item Decius, medios moriturus in hostes
Irrumpens, capitique suo mala cuncta precatus,
Quæ Patriam, civesque suos, quæ castra manerent
Romulidûm, cunctos in se gladiosque Latinos,
Telaque convertens, pulchram per vulnera mortem
Oppetiit, cujus victoria certa cruore
Romano quæsita fuit, pulsusque Latinus:
Exemploque pari docti natusque nepósque
Quærere devoti nomen famamque perennem.
Tale Tuis itidem Proavis Atavisque fuisse
Ingenium geniumque puta. Non mollia somno
Corpora, luxuriæ ve dabant, durúmve laborem
Exosi, fractis quærebant ocia membris:
Virtutem *primis sed sectabantur ab annis,*
Non Rostris deerant, non justo tempore castris;
Consilio pariter fortes, *dextrâque* virili.
Et si sensus inest post mortem manibus ullus,
Te quoque non alium cupiunt insistere callem.
Ergo Majorum si vis miscerier umbris,
Lætos cumque Tuis campos habitare piorum:
Degenerare cave, priscæ virtutis *Avorum*
Oblitus. Quondam fac monstrans cominus ensem
Sanguine rorantem Scythico, sic tollere vocem
Possis: En Proavi, meus est hic NOBILIS ENSIS,
PALANTES DELENS *hostes, priscumque* REDISSE
SCAEVOLAM *in Arctoum* DICENS *veraciter orbem:*
Quem laudis satur, his mecum nunc consecro campis.
Hæc olim. Nunc Te Musis operarier æquum,
Ire per historias omnes, & facta priorum

For-

Fortia, *consiliis dum possis autor haberi*
Utilis, & validis ensem *torquere lacertis.*

ALLUSIO
Ad idem Anagramma, & INSIGNIA Illustrissimæ FAMILIÆ LESCINIÆ.

ENSIFER *ille Leo, clypei qui in casside fulget,*
Exornans gentis nobile *stemma tuæ:*
Ensem *in* palantes *an non Tibi porrigit hostes,*
Fortiter *ad Patriæ & Jura tuenda vocat?*
Nec vitam dubitare jubet pro laude pacisci,
Et si quid vitâ charius esse potest.
Sisque ut Sarmatiæ, quondam quod Scævola *Romæ,*
Quod Decii, & clarus tempus in omne Cato.

Observantiæ cultusque humilimi testandi ergò
F.
JOANNES Wundergast.

FINIS.